This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

UC-NRLF
$B 15 228

JAN 9 1906

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF CALIFORNIA.
GIFT OF
Mme. J. Paris
Class 769
L717



Quantum philosophiae studio ad augendam dicendi facultatem Cicero tribuerit.

HANC THESIM

Facultati litterarum in Universitate Parisiensi

PROPONEBAT

A. LIEBY

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALUMNUS



EDEBAT SOCIETAS GALLICA LIBRARIA

ANTEA SOCIETAS LECÈNE, OUDIN, ETC.

PARISIIS

15, VIA DICTA DE CLUNY, 15

1901

Quantum philosophiae studio

ad augendam dicendi facultatem

Cicero tribuerit.

Quantum philosophiae studio ad augendam dicendi facultatem Cicero tribuerit.

HANC THESIM

Facultati litterarum in Universitate Parisiensi

PROPONEBAT

A. LIEBY

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALUMNUS

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

EDEBAT SOCIETAS GALLICA LIBRARIA

ANTEA SOCIETAS LECÈNE, OUDIN, ETC.

PARISIIS

15, VIA DICTA « DE CLUNY », 15

—

1901

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

QUANTUM PHILOSOPHIAE STUDIO AD AUGENDAM DICENDI FACULTATEM CICERO TRIBUERIT

PROOEMIUM

Ut in tractanda quaestione, quam huic nostro libello inscribimus, ornatissimorum hujus aetatis magistrorum approbationem secuti sumus, ita ad eam prorsus instituendam ipsum Ciceronem quasi auctorem habebamus : qui per illam seriem « oratoriorum librorum », quos *de Oratore*, *Brutum*, *Oratorem* inscriptos ipse hac communi appellatione conjunxit (1), de philosophia ad oratorium usum cognoscenda magnam sententiarum varietatem fuderit, quas ad unius opinionis rationem, quantum licuerit, redigere, hujus nostrae disputationis erit. Nam quod in ipsis horum librorum locis, ad quos maxime nos referimus, et juris civilis et « antiquitatis » cognitionem simul cum philosophiae studio tanquam oratori comprehendendam designare solet (2), — id minime obstabat, quominus

(1) Dum eos adjungit ad enumerationem librorum quos de variis philosophiae « locis » scripserat, — in prooemio libri secundi *De Divinatione*.

(2) Cf. *De Oratore* lib. I, prooemium, 17-18, atque rursus 165-201; *Brutum*, 322; *Oratorem*, 120. In quo Quintilianus Ciceronem secutus est, cf. ejus *Instit. Orat.* XII, cap. 1-4.

In designandis variis Ciceronis locis secuti sumus editiones Teubnerianas: in libris *De Oratore*, edit. Piderit-Harnecker, 1886-90; in *Bruto*, edit. Klotz, 1881; in ceteris operibus rhetoricis edit. Friedrich; in orationibus et

separatim ab utraque harum aliarum artium, quas dicimus, ea, quae de philosophia disseruit, intueremur. Dum enim docebat, et juris civilis scientiam ad suscipienda « legitimarum et civilium controversiarum » patrocinia maxime necessariam esse (1), et oratori in « causis publicis » aut in re publica gerenda versanti exemplorum copiam (2) ab « antiquitatis » memoria esse arcessendam, his certis rationibus ejusmodi utilitates definiebat, quarum utraque et ab institutione quasi domestica viro quidem togato traderetur (3), et, si quis in neutra a propriis studiis satis instructus esset, « ad quamque causam quamvis repente vel a peritis vel de libris depromi » (4) posse videretur. Talem vero philosophiae ad dicendi facultatem adjunctionem, qualem Cicero prae se tulit, facile intelligitur neque ad ejusmodi subsidium commode redigi posse, quod pro singularum causarum opportunitate subito assumeretur et aliunde ex tempore arriperetur (5), neque in oratore romano nisi per quamdam ejus adventiciae disciplinae assiduitatem effici potuisse, quae Ciceroni ipsi ejusque aequalibus Graecorum adhuc doctorum maxime propria recte videretur (6). — Quomodo autem hanc ipsam philosophiae utilitatem Cicero intellexerit, eo

in « scriptis philosophicis » edit. Müller. — Quoties caput totum non indicatur, numeri referendi sunt ad eas minores partitiones, quae signo § saepe designantur.

(1) Cf. *Orat.*, 120 ; *De Orat.* I, 168 sqq., 234 sqq., (nam Antonii refutatione ipsa Crassi sententia illustratur).

(2) Cf. *Orat.*, 120 ; *De Orat.* I, 18, 201, 256 ; 159 (cum antiquitatis memoria juris publici prudentia conjungi solet). — Quantum in « genere deliberativo » *exempla* valerent, animadverterat Aristoteles in *Rhetorica*, lib. I, cap. 9, § 6.

(3) Hoc ipsum quodam modo animadvertentem Cicero Crassum suum faciebat, in eis quae de jure civili cognoscendo huic personae mandabat, *De Or.* I, 193-196.

(4) Utimur verbis Antonii Crassum refellentis (*De Orat.* I, 252); quid in hac Antonii sententia probabile sit, satis apparet ; nec vero Crassum in hoc deinceps contra dicentem audimus.

(5) Nec vero id de philosophia (Cf. *De Or.* I, 219-233) Cicero Antonium contendentem fecit, sicut in eo videmus, quod ad juris civilis cognitionem attinet.

(6) Quae quidem ab eis repeti minus necessario debuit, postquam Cicero suos de philosophia libros edidit ; sed tamen ipse filium suum Athenas apud Cratippum mittebat, sicut alii adulescentes ejusdem aetatis adhuc faciebant.

accuratius anquirendum putavimus, quod talis philosophiae commendatio non statim congruere videtur cum ea oratoris definiendi formula, quam et secutus et professus Cicero docuit, ad propriam dicendi laudem non tantum interesse *quid* diceretur, quantum *quonam modo* (1) : sic enim in illo ipso libro, ubi summa oratoris species et figura describitur, — qui primum statuit, « sine philosophia non posse effici, quem quaerat, eloquentem » (2), idem deinde judicat, non « in inveniendo et collocando », sed « in eloquendo », hoc est : « in orationis genere », qualis sit « summus orator », sibi maxime quaerendum esse (3). Neque profecto mirum est, qui de summa eloquentia haec senserit, hunc ad eam efficiendam universum « litterarum » studium (4), — in quo scilicet elegantissimi philosophiae scriptores [quales ipse non semel (5) designavit Theophrastum, Aristotelem, Xenophontem, Platonem] una cum poetis et historicis quasi confunderentur, — sibi ascivisse ; nec vero hanc ipsam rationem, quam Quintilianus postea in sua *Oratoria Institutione* (6) maxime amplificatam illustravit, a nostro

(1) Cf. *Orat.*, 51 : « ... cum et quid et quo loco dicat invenerit, illud est longe maximum : videre quonam modo... » Eamdem in summa sententiam agnoscimus in libris *De Orat.* (Cf. praesertim lib. III, 52 sqq., atque 104 ; II, 120).

(2) Cf. *Orat.*, 14.

(3) Cf. *Orat.*, 52 ; 54-55 ; 61.

(4) Sicut in oratione *Pro Archia*, cap. 6, de *litteris* loquitur, tanquam « ex his studiis haec cresceret oratio et facultas, quantacumque in ipso esset... » ; quanquam in eis, quae sequuntur, ad philosophorum doctrinam maxime disputatio traducitur (similiter atque in *Bruto*, 322) ; et quidem noster auctor hoc verbo « litteris » non semel utitur ad philosophiam solam designandam (Cf. *De Haruspicum responso*, 18 ; *Tusc.* V, 105).

(5) Praesertim in *Oratore*, cap. 19-20 (ubi « oratorem sejungit a philosophorum eloquentia, a sophistarum, ab historicorum, a poetarum ») : « Quanquam enim et philosophi *quidam* ornate locuti sunt,... etc. » De eisdem cf. *Brutum*, 121 ; *Tuscul.* I, 122 ; *De Officiis*, I, 4 ; etc.

(6) Lib. X, cap. 1. — Eumdem Quintilianum videmus in suo libro XII, cap. 2, de cognoscenda philosophia ac praesertim ejus parte morali, ipsas Ciceronis sententias minuto, ut solet, ordine repetentem, simul atque ea, quae de variis philosophorum familiis Ciceronem disputantem videbimus. — Ciceronis etiam de ea re sententias agnoscere licet in eis, quae in *dialogo de oratoribus* Messalae mandata sunt (cap. 30, 31, 32, 33) — Et quidem auctoritate eorum, quae M. Tullius de philosophiae ad informandum oratorem utilitate disseruisset, forsitan adductus Horatius poeta similem « chartarum socraticarum » commendationem ad artem poeticam retu-

auctore praetermissam videmus (1) ; sed, quibus de rationibus — praeter hanc communem omnium ornate dicendi artificum commendationem — propriae philosophorum disciplinae tantum, quantum explicaturi sumus, et quidem vel plurimum, idem tribuerit, illud propter se maxime perpendendum nobis visum est.

Neque enim habemus quemdam «hominem de schola» (2) aut « declamatorem de ludo » (3) vanas de eloquentia quaestiones disputandi causa fingentem, — sed summum oratorem ab usu forensi ad disserendum de sua ipsius arte sese traducentem ac vias, quae ad eloquentiam ferrent, dicendi studiosis » (4) ipsum expertum tradentem. Neque rursus, quem de philosophiae cognoscendae ad eloquentiam vel forensem utilitate post peractum majore ex parte suum dicendi curriculum (5) ita disserentem invenimus, is ad hanc disciplinam sibi assumendam sero subitoque accesserat : cum contra, — vel deficientibus eis rationibus quas diximus, - satis digna etiam causa superesset, cur per ejus orationes philosophiae studii « ab adulescentia culti nec unquam deinceps intermissi (6) » fructum effectumque persequeremur : quam quidem ad investigationem ipse nos invitare videtur, quippe qui eo tempore, quo ad proprias philosophiae quaestiones latinis litteris illustrandas aggressus erat, per suas orationes « philosophorum sententiis refertas» hoc intelligi debere scripserit, se, « cum minime videretur, tum maxime philosophatum esse (7) ».

lerit his notissimis versibus :

... Rem tibi socraticae poterunt ostendere chartae,
Verbaque provisam rem non invita sequentur...

(Cf. totum locum *Epist. ad Pisones*, v. 309 sqq.)

(1) Cf. *De Oratore*, I, 159, ubi Crassus dicit : « Legendi etiam poetae, cognoscendae historiae, ... », atque ibid. 95, 218, 256, quatenus Antonius cum Crasso consentit. Cf. supra p. 3, n. 4.

(2) Utimur verbis Antonio mandatis, *De Orat.*, II, 28.

(3) Haec verba sumimus ex *Oratore*, 47.

(4) Cf. *Orat* 141.

(5) Libros *de Oratore* composuit anno U. C. 699.

(6) Utimur verbis Ciceronis de se loquentis in *Bruto*, 315.

(7) Aliam addit rationem, quae ad rem nostram minus pertinet : sic enim loquitur : « ... nos autem nec subito coepimus philosophari nec mediocrem a primo tempore aetatis in eo studio operam curamque consumpsimus, et, cum minime videbamur, tum maxime philosophabamur, quod et ora-

Et vero, quia ad nostrum propositum maxime pertinebit ostendere quatenus in ejus orationibus haec philosophiae adjunctio rationibus ab ipso expositis respondeat, — idcirco rem nostram recte ita partituri nobis videmur, ut ab his rationibus primum perspectis transeamus ad dijudicandum, quemadmodum hoc philosophiae instrumentum ad eloquentiam suam locupletandam noster orator usu adhibuerit (1).

tiones declarant refertae philosophorum sententiis et doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit, et principes illi Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus. » (*De Natura deorum*. I, 6.)

(1) Varios eruditorum virorum libros, ad quos maxime nos referre debuimus, prout occasio incidet, in nostris annotationibus indicabimus.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

PARS I

Quid de philosophia ad oratorium usum cognoscenda M. Tullius sensisse videatur.

CAPUT I

Quas rationes latissime patentes de hac philosophiae cognoscendae utilitate M. Tullius in suis « oratoriis libris » protulerit.

Quoniam ordo rerum, quae nobis explicandae sunt, ita descriptus est, ut primum quaereremus, quatenus quibusque de rationibus philosophiam ad oratorium usum cognoscendam esse M. Tullius censuerit, minime quidem involuta prima hujus nostrae inquisitionis materia esset, si nobis vel tantummodo vel praecipue ejus libri, qui *Orator* inscribitur, ratio esset habenda, — quippe in quo de hac quaestione noster auctor planissime, tanquam de re vix controversa, sententiam suam exposuerit (1). Sed ea quoque respicienda sunt, quae idem de eadem quaestione aliquot ante annis in illis *de Oratore* libris disseruerat, — interdum suo nomine loquens (2), saepius per alias personas quas inter se colloquentes induxit : quibus ex libris separatim consideratis primum dijudicandum erit, quam potissimum sententiam tunc videri suam voluerit. Qui enim extrema *Oratoris* parte ipse professus est, se, cum in aliis — et quidem vel « maximis » — rebus, tum, in eis, quae de summa oratoris specie dissereret, nihil firmius

(1) De quibus locis (*Or.* 11-19, 113-120) plura infra dicentur.
(2) In prooemiis librorum I et II.

persequi « quam id quodcumque sibi quam simillimum veri videretur », atque « sibimet ipsi aliud alias videri posse » (1), — is non ita curare debuit, ut cum illa opinione, quam in superioribus libris novem ante annis (2) explicavisset, ea, quae in *Oratore* diceret, plane congruerent, si qua forte immutandae sententiae ratio intervenisset. Et quidem, cum hunc *Oratorem* scriberet, — eo scilicet tempore, quo nullam jam esse rempublicam forumque obmutuisse dolebat, — praecipuo commendandae philosophiae studio adduci potuit ut, ad quam potissimum suas dicendi virtutes jam adhibiturus esset, eamdem tanquam omnis eloquentiae altricem effectricemque maxime praedicaret. Illos vero *de Oratore* libros ea aetate composuerat, qua, — quamvis aliquo jam forensis laboris taedio ad animum litteris studiisque relaxandum conversus (3), — multis suscipiendis causis [et iis quidem, quas recepisse eum interdum maxime paeniteret (4)], eloquentiam suam exercere non desierat. Itaque non nisi post diligentem Tullianae opinionis per hos libros recognitionem ea conferenda erunt, quae de eadem quaestione in *Oratore* dicta sunt, — praesertim cum in eisdem potissimum libris non modo de universa philosophia, sed etiam de singulis philosophorum disciplinis ad eloquentiae alendae utilitatem relatis ea explicata sint, quae *Oratoris* auctor aut fere omiserit aut in paucissima verba coartaverit.

I

Et quidem ab hujus tripertiti operis initio, — antequam inter Crassum et Antonium de philosophia ad oratorium usum cognoscenda in utramque partem disputaretur, — Cicero effecit ut appareret, utram opinionem ipse potius

(1) *Orat.* 237. Cf. *Tuscul.* V, 33.
(2) 699-708 urbis conditae (55-46 ante Chr.),
(3) Cf. *Ep. ad Famil.* VII, 1 (ad Marium, anno 698).
(4) Sicut apparet ex nonnullis ejus Epistolis.

tutaretur : dum enim in primi libri prooemio propositum suum explicat, Quintum fratrem alloquens memorat « se nonnunquam hac de re ab eo in disputationibus dissentire solere, quod *ipse eruditissimorum hominum artibus eloquentiam contineri statuat*, is autem illam ab elegantia doctrinae segregandam putet et in quodam ingenii atque exercitationis genere ponendam » (1) : qua de re eadem Crassum Antoniumque per dialogum deinde institutum dissentientes videmus. Atque continuo ad eam sententiam — quam suam esse ita indicavit — confirmandam hoc argumento utitur, quod « plures in omnibus artibus quam in dicendo admirabiles exstiterint » (2 : cui mirae oratorum paucitati id causae esse docet, quod « ex pluribus artibus studiisque » eloquentia constet, « in quibus singulis elaborare permagnum sit » (3). Jam vero, postquam hanc studiorum varietatem breviter explicavit (4), quibus oratorem instructum esse vult (eis autem enumerandis philosophiae suum, et primum quidem, locum assignat), tum summam sententiae suae his planissimis verbis colligit (5) : « ... Ac mea quidem sententia « nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi « erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam « consecutus » ; hanc autem oratoris quasi formulam in forensem eloquentiam cadere ipse statim significat (6), quam quidem solam in praesentibus libris se complexurum esse profitetur (7), — quanquam idem ait sibi videri « vim oratoris professionemque ipsam bene dicendi hoc suscipere ac polliceri, ut omni de re, quaecumque sit proposita, ornate ab eo copioseque dicatur » (8).

Sic habemus in totius operis prooemio breviter conclusam eam rationem, quam ad dilatandam explicandamque magna pars dialogi inter Crassum et Antonium ita distributa est, ut haec ab ipso M. Tullio summatim primum

(1) *De Orat.*, lib. I, 5.
(2) Ibid., 6.
(3) et (4) Ibid., 16-19.
(5) Ibid., 20.
(6) (7) et (8) *De Or.* I, 21-23; cf. II, 69-72.

exposita sententia per varia in utramque partem argumenta versaretur. Nam, cum in plerisque rebus, quae per hunc sermonem disceptantur, tum maxime in ea, de qua dicimus et quaerimus, diversas (ut prima quidem specie videntur) Crassi Antoniique sententias ad unam redigi posse, ab eruditis viris magis acute notatum quam vere demonstratum est (1) : quam demonstrationem, — in iis quidem, quae ad nostram quaestionem pertinent, — nostri proprii laboris esse existimavimus, neque omnino vani, sive quod interdum aut per adventicias sententias aut per ipsam Tullianae orationis fusius redundantem copiam (2) disputatio vagatur, sive propter ancipitem personarum inductarum quasi faciem, quarum utraque (3) nunc ut ipsius Ciceronis interpres loquitur (4), nunc suam propriam potius personam induit (5), ut per sermonis flexus vel jucundissimos res controversa paulum obscuretur. Ac nobis hanc paulo aridiorem disputationem ineuntibus hoc forte excusationi erit, quod, re primum ita constituta explicataque, reliquum iter, quod nobis perficiendum erit, planius et expeditius fiet.

Et vero, ut in primi libri prooemio, de quo jam diximus, sic ab ipso fere sermonis ipsius initio ea quaestio, de qua disserimus, ita introducitur, ut appareat, qua sub specie Cicero in hoc componendo dialogo eam, tanquam praecipuam, tractandam sibi proposuerit Nam, postquam Crassus exorsus est laudando praeclarum Cottae Sulpiciique in colenda eloquentia studium, unde ad praedicandam magnificentius ipsius eloquentiae dignitatem deductus est (6), — Scaevola in hac eloquentiae laudatione duo se reprehendere ait, « unum, quod ab oratoribus ci-

(1) Ne in docto quidem K. W. Pideriti commentario (ab Harnecker retractato) id satis explicatum invenimus.
(2) Velut in libro I, 49-52, 58-65, etc.
(3) Crassus Antoniusque soli a nobis hoc loco considerantur.
(4) Hoc de Antonio etiam intelligendum est; Cf. *Ep. ad Famil.* VII, 32.
(5) Quod ita esse etiam in Crasso—praesertim de suis studiis loquente — infra animadvertitur.
(6) *De Or.* I, cap. 8.

vitates et initio constitutas et saepe conservatas esse Crassus dixerit, alterum, quod remoto foro, concione, judiciis, senatu, statuerit oratorem in omni genere sermonis et humanitatis esse perfectum » (1). Quorum in altero, quoniam id a proposito nostro fere alienum est, argumenta vel potius exempla a Scaevola in contrariam partem allata (2) negligimus ; in altero autem, — quod quidem quatenus ad nostram quaestionem pertineat, mox videbimus, — opponit Crasso philosophorum maxime greges (3) « possessiones » suas vindicantium, quorum tum universorum, tum per singulas familias contradicentium argumenta colligit, ut sic concludat, oratorum facultati non « omnis sermonis disputationem », sed judicia tantum et conciones et senatum attribuenda esse. — Quam opinionem sibi quidem notissimam esse Crassus respondet (4), quippe cum a claris variarum sectarum philosophis eadem fere de oratore disputata Athenis audierit ; eaque, quae contra eos tunc disseruisse se ait, in duplicis argumenti formam recollecta explicat, cujus haec fere summa est : oratorem, etiamsi quis eum ad judicia et ad conciones et ad sententias in senatu dicendas redigi voluerit, tamen « ab omni doctrina rerumque majorum scientia (5) » non idcirco excludendum esse, quippe cui ad exercendam vel in his angustis terminis eloquentiam haec ipsa scientia deesse non debeat ; ejus certe scientiae, quae philosophorum propria sit, cognoscendae utilitatem satis ex eo perspici posse, quod et ad tractandas multis modis hominum mentes natura hominum ei incognita esse non debeat (6), et in dicendo multi incidant loci quos philo sophi ut suos tradere soleant (7); ejusdem vero maximarum rerum scientiae necessitatem clarius etiam apparere, si « oratoris nihil esse sta-

(1) *De Or.* I, (cap. 9), 35.
(2) Ibid., 36-40.
(3) *Philosophos* a Socrate ortos Scaevola separat ab illis veteribus, qui « *physici* » dicti erant (Cf. 42), sicut fieri videmus in *Academicorum priorum* libro II (cap. 5).
(4) *De Or.* I, 45.
(5) Ita loquentes philosophos Crassus facit, 46.
(6) Cf. *De Or.* 48, 53.
(7) Cf. ibid. 56.

tuatur nisi composite, ornate, copiose loqui, *quaecumque res inciderit, quae sit dictione explicanda* (1) ; quam quidem oratoriae facultatis definiendae rationem in prooemio jam suo nomine prolatam (2) Cicero nunc Crasso suo tribuit, quoniam in hoc ipso Scaevolam ei adversantem faciebat (3).

Hoc igitur argumentandi modo Crassus cum contra Scaevolam contendit « in omni parte humanitatis oratorem perfectum esse debere », tum philosophos oratorem contemnentes ita refutat, ut philosophiam ipse nequaquam contemnat (4) , sed eam magna quidem ex parte oratori vel in forensibus civilibusque rebus versanti cognoscendam esse demonstret. Et quidem hoc disputandi « artificio (5) » Scaevola victum se fatetur, quanquam se dubitare etiam indicat (6), nonne ea multarum variarumque rerum scientia, — quam qui oratori adjungeret, ipse tamen Crassus se complecti negaverit, — magis dictu splendidum aliquid quam effectu facile sit ; neque ejusdem dubitationis professione (7) Antonius tunc impeditur, quin Crassi sententiam sequi videatur : nam et ea, quae Crassus dixerit, probare se declarat (8), et ipse recordationem affert longae disputationis (9), qua Athenis audivit Charmadam philosophum iisdem fere rationibus, quibus Crassus modo usus est, demonstrantem, « non posse quemquam facultatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inventa didicisset » (10) : cui Charmadae opinioni se quidem adeo assensum esse addit, ut ea adductus « quodam in libello » scripserit « disertos se cognosse nonnullos,

(1) Cf. *De Or.*, I, 48, 59, 64.
(2) 21. Cf. supra, p. 9.
(3) Cf. *De Or.* I, 35 et 71.
(4) Quod animadvertentem Scaevolam Cicero facit, 75.
(5) Sicut hoc loco loquitur Scaevola, 74.
(6) 76-77. (Cf. id quod de se dicit Crassus, 71.
(7) *De Or.* I, 81.
(8) Ibid., 80.
(9) Ibid , 82 sqq.
(10) Cf. ibid., 84. Charmadam eumdem Crassus nominavit (45-46) inter eos, quos contra se disputasse aiebat : sed huic — ut Carneadi discipulo — « mos erat patrius adversari semper omnibus in disputando » (34).

eloquentem adhuc neminem » (1). — Sic, post alternum dialogi quasi exordium, Antonius et Crassus in hoc consentire plane videntur, quod « nemo possit, nisi qui illa, quae a doctissimis hominibus in philosophia dicantur, cognoverit, aut callide aut copiose dicere » (2) : ne id quidem gravem inter eos dissensionem efficit, quod Antonius animadvertit (3), quam « difficile factu » esset ea maximarum artium ad dicendi facultatem adjunctio, — cum uterque (4) neque se neque quemquam adhuc ad eum summi perfectique oratoris quasi gradum ascendisse profiteatur.

Haec tamen utriusque consensio in extrema hujus primi libri parte rumpi videtur, ubi Antonium audimus rationes ipsas refellentem, quibus cum Crassus tum ille Charmadas in disputatione ab Antonio commemorata demonstrabant « philosophiam oratori necessario percipiendam esse » (5) : hoc enim contendit, « oratori, qui in populo foroque versetur, satis esse ea de moribus hominum et scire et dicere, quae non abhorreant ab hominum moribus » (6); quaerit, « quis unquam orator magnus et gravis, cum iratum adversario judicem facere vellet, haesitaverit ob eam causam, quod nesciret, quid esset iracundia, fervorne mentis an cupiditas puniendi doloris? ... » Addit, ab ipso animorum atque affectuum concitandorum officio (in quo maxime vis oratoris exsistat) philosophorum doctrinas abhorrere, quippe qui « partim omnino motus negent in animis ullos esse debere, quique eos in judicum mentibus concitent, scelus eos nefarium facere (7), — partim (8)... permediocres ac potius leves motus debere esse

(1) 94 (« libellus » inscribebatur « de ratione dicendi »).
(2) Antonii verbis (93) de industria utimur, ne ejus sententiam mutare videamur.
(3) *De Or.* I, 81. Cf. supra p. 12.
(4) Antonius, 94, — Crassus, 78-79.
(5) Ita « philosophorum » sententiam Antonius refert, 219.
(6) *De Orat.* I, 219; cf. etiam 223.
(7) *De Or.* I, 220. Quatenus autem fiat, ut orator « in commovendis judicibus eis ipsis sensibus, ad quos illos adducere velit, ipse permoveatur », et Antonium disputantem Cicero facit (*De Or.* II, 189 sqq.) et ipse de se indicat (*Or.* 132).
(8) Academici scilicet et Peripatetici, quos Cicero conjungere solet.

dicant » ; neque ab oratore audientium mentes tractari posse, nisi in eis rebus amplificandis, quae fugiendae vel expetendae videantur, vulgi potius quam sapientium sententiam sequatur (1). — Et quidem, si quis hanc Antonii de philosophia disputationem a sermonis contextu separatam consideret, non modo miretur tam diversa de re eadem Antonium dicere, ut ea, quae et in Crasso modo probaverit et in Charmada se antea probavisse memoraverit, nunc repudiare videatur ; verum etiam hoc secum reputet, Ciceronem, — non curando ut haec Antonii argumentatio a Crasso refutaretur, — effecisse ut ipsam opinionem, quam se tutari in prooemio significavisset, in aliquam dubitationem adduceret ; sed hanc Antonii cum a Crasso tum a se ipso dissensionem evanescere is agnoscet, qui accurate perspexerit, et quo Antonii disputatio tendat et quomodo in sermonem introducta sit.

Eo enim sermonis puncto, ubi Antonius, sicut rogatus est, suscepit explicationem eorum, quae de rhetorum arte breviter a Crasso jam decursa sint (2), nihil esset cur de philosophia cognoscenda rursus disputationem institueret, nisi Crassus, post recollecta « artis » praecepta (3) de « exercitatione » quoque interrogatus (4), pauca etiam de varietate artium, quas oratori complectendas censeret, repetiisset (5) : inter quas quoniam juris civilis scientiam ut oratori necessariam Crassus maxima cum copia separatim amplificavit (6), idcirco Antonius quasi quodam contradicendi studio adductus illi variarum doctrinarum ad eloquentiam adjunctioni adversari incipit, praesertim cum ipse juris civilis, ut fatetur (7), ignarus, eos, qui hac scientia nudati ad causas dicendas accederent, cum « inertiae » tum etiam « impudentiae » vehementer condemnari a Crasso, — licet ipse ab eodem

(1) *De Or.* I, 221, 224, 235.
(2) *De Or.* I, 148, 204-207.
(3) *De Or.* I, 137-147.
(4) Ibid., 148.
(5) Ibid., 158-159.
(6) Ibid., 166-203.
(7) Ibid., 248. Cf. 265.

exceptus sit (1), — aequo animo audire non potuerit. Atque sane, dum in philosophiam (2) primum argumentationem suam intendit, hanc propriam inscientiae suae rationem dissimulat, quanquam ne in philosophia quidem similem refellendi Crassi causam a se afuisse ipse postea indicabit (3) : sed, dum id, quod Crassi oratione nimium exaggeratum nunc existimat, ad justiorem veritatis imaginem adducere se profitetur, propriamque oratoris vim ac facultatem a Crasso latius (ut opinatur) comprehensam artioribus terminis describit (4), ne in hoc quidem adversandi studio summam ejus sententiam a Crassi opinione omnino repugnantem videmus : neque enim nisi uno verbo (5), — a quo, tanquam temere emisso, ipse deinde re discedit (6), — subtrahit illud, quod de summo et perfecto oratore Crasso ante assensus est (7) ; neque rursus eum ipsum « operarium » , qualem oratorem facit (8), a « bonarum artium » studio ab omnique « humanitate » sejungit (9) ; nullam scilicet in summa graviorem contradicendi rationem habuisse videtur, quam quod contendit, ad ipsam dicendi exercitationem dicendi studiosis non ita multum spatii esse, ut ad res minus necessarias tempora sua dispertiant (10) : quam ipsam ultimam rationem subtilioribus a Crasso allatis rationibus (11) discuti mox videbimus ; nam ad praesens Crassus satis esse judicat, his verbis animadvertere, omnem Antonii a se dissensionem in oratoris definitione versari (12) : « non so-

(1) *De Or.* I, 172.
(2) De jure civili Antonius postea disseret, 234 sqq.
(3) Lib. II, 60-61.
(4) Lib. I, 213-217.
(5) I, 233, in conclusione eorum quae de philosophia disseruit : «... hoc (id est : dicendi facultatem) sine illo (philosophiae studio) *summum* esse posse. »
(6) 258 : « voluisti in suo genere unumquemque nostrum quasi quemdam esse Roscium... etc. »
(7) Cf. I, 80 (ut supra diximus, p. 12, n. 8).
(8) Cf. I, 263
(9) Cf. I, 256 : « neque repugnabo..., etc.
(10) Cf. I, 256, 260 ; quod idem supra (81) praeteriens indicabat Antonius, dum Crasso assentire se aiebat.
(11) In libro III *De Orat.*
(12) 264 (extremo fere libro I). Neque videlicet sine industria effectum est,

« lum, inquit, arbitrabar a me informari oportere, qualis « esse posset is, qui habitaret in subselliis neque quidquam « amplius afferet,quam quod causarum necessitas postula- « ret ; sed majus quiddam videbam, cum censebam ora- « torem, praesertim in nostra republica, nullius ornamenti « expertem esse oportere. »

II

Restat, ut quaeramus de ipsis rationibus, quas Crassum ad demonstrandam philosophiae utilitatem afferentem, Antonium autem refellentem vidimus : has nimirum rationes, — quarum alteram ad animorum motus penitus pernoscendos spectare animadvertimus, alteram ad arcessendos a philosophia certos *locos* ejusmodi, qui in dicendo saepe incidere solerent (1), — si ad hunc mediocrem, de quo loquitur, oratorem nihil valere Antonius recte contendere potuit (2), non satis apparet, quomodo ad illum summum, quem Crassus intuetur, eaedem potius pertineant. Itaque non alienum erit, statim breviter describere, per quem rerum processum ea, quae post primi libri finem in incerto relicta videri potuerint, per inferiores libros ad clariorem lucem adducta sint.

Nam ipse Antonius, qui vana ea esse clamavit, quae Crassus (3) « de naturis hominum, de moribus, de rationibus eis, quibus eorum mentes et incitarentur et reprimeren-

ut Ciceronem ipsum, quod in libri I prooemio suo nomine proferebat, id in libri II prooemio (5) tanquam semper integrum neque ullo modo per ancipites primi libri disputationes imminutum sua iterum auctoritate sic confirmantem inveniamus : « neminem eloquentia non modo sine dicendi doctrina, sed ne sine omni quidem sapientia florere unquam et praestare potuisse ».

(1) Cf. supra, p. 11 (n. 7).

(2) Neque enim refert, Antonium « sua mirifica ad refellendum consuetudine » uti maxim evoluisse (quod et Crassus suspicari se ait, I, 263, — et Antonius ipse, II, 40, fere fatetur) : ejus argumenta suam vim per se habuerunt, quam Crassus praetereundo non fregit.

(3) Sicut Cicero suo nomine loquens in prooemio, I, 17.

tur, cognoscendis (1) » protulisset (2), – idem in ea secundi libri parte, ubi se exponere profitetur, « quibus ex locis ad eas tres res, quae ad fidem faciendam solae valeant, ducatur oratio, ut et concilientur animi et doceantur et moveantur (3) », adducitur, ut de naturis hominum affectibusque disserat : et quidem, « quibus rebus animi hominum moveantur », a « longa vita usuque rerum maximarum » tenere se ait (4) ; sed idem in iis rebus exponendis (5) se Aristotelis quoque discipulum esse (6) satis ostendit, — qui philosophus primus exemplum dederat in « rhetoricis libris » ea tradendi, quae ad oratorum usum e philosophiae fontibus depromerentur : quae cum Antonius oratori nota esse velit, hoc ipso philosophiae cognoscendae fructum aliquem esse agnoscit, — quippe per quam ea, quae ut Antonius a longo usu, sic alii forte ab ipsa natura (7) satis tenuerint, ratione adhibita melius certe perspici et comprehendi et tractari possint.

De altera vero ratione, quam Crassus in tractandis ejusmodi locis ponebat, quos philosophi traderent (velut « de dis immortalibus, de pietate, de concordia, de amicitia, de communi gentium jure, de aequitate, de temperantia, de magnitudine animi, de omni virtutis genere ») (8), — ab Antonio etiam in secundo libro ea audimus, quae ad eam satis apte pertinere videntur (9), sed eamdem maxime a Crasso ipso in tertio libro quasi nova sub specie retractatam amplificatamque recognoscimus. Postquam enim, — iis quae ad inventionem et ad « collocationem » rerum attinent ab Antonio per secundum librum expositis, — ad explicandam elocutionis vim perventum

(1) Ita loquitur Scaevola Crassi sententiam referens, I, 165.
(2) I, 48, 53, 60. — Cf. 87, in Charmadae disputatione.
(3) Cf. II, 121.
(4) Cf II, 204.
(5) Praesertim, II, 205, sqq.
(6) Eum quidem Cicero fecit fatentem (II, 152-153) quid ab Aristotele acceperit.
(7) Quod a Charmada ita disputatum Cicero faciebat, I, 90.
(8) Cf. I, 56 ; cf. 67.
(9) Praesertim, 68 et 135 (lib. II).

est, Crassus, cui fere invito (1) ea pars tractanda tributa est, primum animadvertit, « Antonium, — cum sibi de eis, quae dici ab oratore oporteret, sumeret, ipsi autem relinqueret, ut explicaretur, quemadmodum illa ornari oporteret, — ea divisisse, quae sejuncta esse non possent (2) » ; atque hac ipsa ratione ductus, dum ad suam de « ornate apteque dicendo (3) » disputationem aggreditur, ea repetit, quae de philosophiae ad eloquentiam adjunctione in libro primo affirmaverat. Sed hujus rei tunc demonstratio ab universa philosophia per certam singularum disciplinarum considerationem ad subtiliorem quamdam rationem traducitur, quam in aliud tempus ad explicandum differimus, cujusque propria vi adversas Antonii rationes fere dissolvi videbimus. Et quidem, cum Crassus in hac sua disputatione id etiam confirmat, quod primo libro (4) declaraverat, se, quoniam de oratore disputetur, de « summo » loqui et velle et debere, propterea quod « vis et natura rei, nisi perfecta ante oculos ponatur, qualis et quanta sit intelligi non possit (5) », — tum illud addit, quod Antonio tantae comprehendendae doctrinae difficultatem objicienti (6) respondere videatur, « ad eam assequendam non tantum ingenioso homini et ei, qui forum, qui curiam, qui causas, qui rempublicam spectet, opus esse temporis, quantum sibi ei sumpserint, quos discentes vita defecit : omnes enim artes aliter ab eis tractari, qui eas ad usum transferant, aliter ab eis, qui ipsarum artium tractatu delectati nihil in vita sint aliud acturi (7) » : qua correctione adhibita Crassi sententia minus etiam abesse videtur ab illa in contrariam partem disputatione, qua Antonius sic statuebat, « quoniam dicendi facultas non deberet esse jejuna atque nuda, sed

(1) Cf. II, 366.
(2) III, 19 ; cf. 24.
(3) Postquam primum de « latine planeque dicendo » brevius disputatum est, III, 38-51.
(4) I, 264 ; cf. supra, p. 15 (n. 12).
(5) III, 84-85.
(6) Cf. supra, p. 12 (n. 6-7) et 15 (n. 10).
(7) III, 86, sqq. ; — cf. III, 123-124.

adspersa atque distincta multarum rerum jucunda quadam varietate, boni oratoris esse multa auribus accepisse, multa vidisse, multa animo et cogitatione, multa etiam legendo percucurrisse, *neque ea ut sua possedisse, sed ut aliena libasse* (1) ».

III

Jam vero ex eo ipso, quod Crassus in eis, quae de cognoscenda philosophia disserit, de *summo* oratore se loqui non semel significat, perspici potuit, hanc philosophiae commendationem ad eamdem rationem pertinere, ad quam Cicero aliquot post annis eum librum composuit, quem *Oratorem* inscripsit. Et in hoc quidem libro, ut Cicero profitetur, se summum et perfectum oratorem, « qualis fortasse nemo fuerit (2) », quaerere et intueri, eumque quasi ex ea ultima specie, quam Plato ἰδέαν vocavisset, describere (quod idem minus reconditis sane verbis Crassum suum sibi proponentem fecerat), ita statuit, « sine philosophia non posse effici quem quaerat eloquentem (3) » ; quod autem adjicit, « non ut in ea tamen omnia sint, sed ut sic adjuvet ut palaestra histrionem », Crassum induxerat similiter explicantem, quatenus orator sese philosophiae tradere deberet. Sed quidem « philosophiam », quam oratori ita adjungit, latiore sensu comprehendere in *Oratore* videtur. Illae enim duae rationes, quas e libris *de Oratore* inscriptis de philosophiae utilitate excerpi posse vidimus, ad eam maxime philosophiae partem cognoscendam spectabant, quae Graece ἠθικὴ dicebatur, ab ipso Cicerone « moralis » appellata est (4) : quod quidem Crassus plane indicabat, dum eam — ut solam « perdiscendam » — ab aliis rebus separat, quas ab oratore, tantummodo si de his ipsis rebus sit ei dicen-

(1) I, 218.
(2) et (3) *Orat.*, 7 et 14.
(4) Cf. *De Fato*, 1.

dum (1), ab eis qui teneant disci et cognosci posse existimat : « quoniam, inquiebat, philosophia in tres partes « est tributa, in naturae obscuritatem, in disserendi « subtilitatem, in vitam atque mores, duo illa relinqua- « mus atque largiamus inertiae nostrae ; tertium vero, « quod semper oratoris fuit, nisi tenebimus, nihil oratori, « in quo magnus esse possit, relinquemus (2) ». In *Oratore* vero de tribus his partibus ita disserit, quasi eas ad ornandam dicendi facultatem variis quidem de rationibus sed tamen confuse referret : ea certe, quae ad dialecticae vel ad physicorum cognitionem pertinent, facile agnoscentur per ipsam seriem argumentorum quibus universae philosophiae utilitatem sic demonstravit :

« Nam nec latius atque copiosius de magnis variisque rebus sine philosophia potest quisquam dicere : — si quidem etiam in Phaedro Platonis hoc Periclen praestitisse ceteris dicat oratoribus Socrates, quod is Anaxagorae physici fuerit auditor ; a quo censet eum, cum alia praeclara quaedam et magnifica didicisset, uberem et fecundum fuisse gnarumque, quod est eloquentiae maximum, quibus orationis modis quaeque animorum partes pellerentur... ; nec vero sine philosophorum disciplina genus et speciem cujusque rei cernere neque eam definiendo explicare nec tribuere in partes possumus nec judicare quae vera quae falsa sint neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere. Quid dicam de natura rerum, cujus cognitio magnam orationis suppeditat copiam? † de vita, de officiis, de virtute, de moribus sine multa earum ipsarum rerum disciplina aut dici aut intelligi posse? (3) »

Neque hoc loco solum, sed iterum etiam in inferiore ejusdem libri loco, — ubi, post definitam summi oratoris

(1) Cf. *De Or.* I, 65-66.

(2) *De Or.* I, 68. Haec sequuntur : « Quare hic locus de vita et moribus totus est oratori perdiscendus ; cetera si non didicerit, tamen poterit, si quando opus erit, ornare dicendo, si modo ad eum erunt delata et ei tradita. » — Nam quod ab Antonio Crassi sententiam ad refutandum referente (I, 212 et 218) ea distinctio neglecta esse videtur, id artificio cuidam imputari potest, quo sibi Antonius justiorem contra dicendi causam faceret.

(3) *Or.* 14 16. Ad extremam sententiam restituendam Kayserius in editione Tauschnitz (1860) supplet, « *non* sine multa... » Cf. *Or.* 118 : « nihil enim de religione... (etc.) nihil de virtutibus aut vitiis, nihil de officiis. ., nihil, inquam, sine ea scientia, quam dixi, graviter ample copiose dici et explicari potest. »

excellentiam (1), ad earum rerum, quarum quasi concursu haec effici possit, descriptionem transitur, — dialecticam et physicam huic tertiae parti, quam per Crassi personam ut solam perdiscendam seponebat, sine ulla ejusdem generis distinctione adjunxit : primum enim longiore disputatione explicat (2), cur oratorem « a dialecticis instructum esse » velit, neque, quod exilius et aridius dialecticorum genus nonnisi aliquo « orationis nitore » adhibito (3) assumendum judicat, inde concludit hanc disciplinam oratori inutilem esse, — sicut Antonius in secundo *de Oratore* libro (4), nusquam contradicente Crasso, « istam artem totam dimittebat, tanquam in excogitandis argumentis mutam nimium, in judicandis nimium loquacem » ; tum, — postquam breviter memoravit (5), quare « omnes philosophiae notos ac tractatos locos habere » orator deberet, — suam physicae utilitatem iterum his verbis assignat (6) : « ... quem (oratorem), « quo grandior sit et quodam modo excelsior, ut de Peri- « cle dixi supra, ne physicorum quidem esse ignarum « volo : omnia profecto, cum se a caelestibus rebus refe- « ret ad humanas, excelsius magnificentiusque et dicet et « sentiet. »

His igitur de dialectica et physica argumentis auctam ipsam sententiam in *Oratore* recognoscere licet, quam in suis de *Oratore* libris Cicero et per Crassi potissimum personam explicabat et ipse in prooemiis ut suam proferebat. Quod autem hujus capitis initio jam significavimus, quali in philosophiae studio quasi progressione ad hanc novarum rationum adjunctionem Cicero adduci potuerit, id ex eo etiam intelligi potest. quod in *Oratore* plures earum Platonis auctoritate apertius commendavit (7). Sed quoniam eae variae rationes in communi fere commen-

(1) *Or.* 100 sqq.
(2) *Or.* 113, 118.
(3) *Or.* 117.
(4) 159-160. Quanquam Antonium eumdem in libro I (128) « acumen dialecticorum » in oratore requirentem Cicero faciebat : sed dialecticam quamdam oratori quasi ingeneratam insitamque ita intelligere videbatur.
(5 et 6) *Or.* 118 et 119.
(7) *Or.* 14 et 119 (quos locos supra retulimus).

datione poni in *Oratore* videntur, ad illos maxime de *Oratore* libros nos referre debebimus, ut ab hac platonica quasi origine secernamus, quid in Tulliana sententia maxime Ciceronis proprium esse videatur.

CAPUT II

Quomodo ad suam sententiam rationes a Platone repetitas M. Tullius accommodaverit.

I

Eo quidem justior causa est, cur ab illis notissimis Platonis dialogis, qui *Phaedrus* et *Gorgias* inscribuntur, Tullianam in ea re, de qua quaerimus, sententiam repetamus, quod Cicero ipse ad utrumque horum dialogorum se respexisse non modo in suo *Oratore*, sed per suos etiam *de Oratore* libros non semel indicavit (1). Non quo putandum sit, eum vel ad hanc instituendam quaestionem Platonis tantummodo exemplo inductum esse vel in ea tractanda ad Platonis auctoritatem ultro se contulisse, — cum contra ex ipsis *de Oratore* libris satis appareat, ejus ita disceptandae rationem per recentiorum philosophorum « scholas » Ciceroni quasi traditam esse. Nam Crassum sane et Antonium de his rebus ita disputavisse, ut Cicero eos inter se colloquentes fecit, ne ex eo quidem concludere licet, quod hujus sermonis memoriam ab ipso Cotta, qui ei colloquio interfuisset, accepisse se Cicero significat (2) [quantam enim fingendi libertatem « mos talium dialogorum » reciperet, ab ipso Cicerone ad Varronem *Academicorum posteriorum* libros mittente (3) cognosci-

(1) Cf. *De Or.* I, 28, 47 ; III, 122, 129 ; de quibus infra dicetur.

(2) Non modo in libro I, 26-27, — sed rursus in libro III, 16-17, — quo ipso loco Cicero indicat « sibi Cottam tantummodo locos ac sententias hujus disputationis tradidisse ».

(3) *Ep. ad Famil.*, IX, 8 : « ... puto fore ut, cum legeris, mirere nos id locutos esse inter nos, *quod nunquam locuti sumus* ; sed *nosti morem dialogorum...* »

mus] ; sed utriusque disputationibus opiniones auctoritatesque graecorum ejusdem aetatis philosophorum, quorum ipsa nomina proferuntur, non temere insertas esse credibile est, cum praesertim et accuratissime descripta sint tempora, quibus uterque se hos philosophos Athenis audivisse memoret (1), et de Antonio ipse Cicero testetur (2) « se ex humanissimo patruo — qui una cum Antonio in Ciliciam tunc profectus esset — saepe accepisse quemadmodum ille vel Athenis vel Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedisset ». Atque de his eisdem rebus, de quibus Crassi Antoniique aetate Charmadam Carneadis auditorem ejusque aequales ita disceptantes ostendit, Cicero ipse, vix aliquot annorum interposito spatio (3), graecos homines etiam disputantes audire potuerat, praesertim Philonem illum « Academiae principem (4) », quem in docendo cum philosophorum tum rhetorum praecepta tradere solitum esse noster auctor alias commemoravit (5).

Nam quod « ista inter Graecos disceptari » [sicut Crassum suum dicentem Cicero fecit] (6) non desita erant, id non solum ad ipsum « Graeculorum hominum » (7) disputandi studium, sed etiam ad contentionem quamdam referre licet, in quam *philosophi* vel gravissimi cum honoris tum quaestus causa cum eis incidissent, qui *rhetores* appellati (8) « dicendi artem » tradere se profitebantur ; et quidem Charmadas, quanquam nominatur inter nobiles variarum sectarum philosophos quorum a communi contemptu *oratorem* vindicare disputando Crassus voluisse se narrat (9), tamen in illos « rhetoricos doctores » (10) magis quam in ipsos oratores suam

(1) *De Or.* I, 45 et 84 : Crassus quaestor ex Macedonia veniens anno 641 ; Antonius pro consule in Ciliciam proficiscens, anno 651.
(2) *De Or.* II, 3, in prooemio.
(3) Annorum 641 651=666 (113-103=88.)
(4) Sicut de eo dicitur in *Bruto*, 306.
(5) Cf. *Tuscul.* II, 9.
(6) *De Or.* I, 45.
(7) Ita dicit Crassus, I, 47. (Cf. I, 102.)
(8) Cf. *De Or.* I, 84, 87.
(9) Cf. ibid., 46, 47, 57.
(10) Cf. ibid., 86, 87.

LIBRARY
UNIVERSITY
OF
CALIFORNIA

disserendi « celeritatem » intendere videtur in ea disputatione, quae ab Antonio refertur (1), — in qua vel Demosthenis exemplo (2) hoc maxime demonstrare contendit, ea, quibus praecipue oratoris vis contineatur, vel a philosophorum doctrina vel fortasse ab ipsa natura (3) tradi, — eam vero « dicendi artem », quam rhetores docere se profiteantur, aut in « nugis » positam aut etiam « omnino nullam » esse (4). Hunc videlicet oratorem, quem a philosophis « una paene voce repelli a gubernaculis civitatum, excludi ab omni doctrina rerumque majorum scientia ac tantum in judicia et contiunculas tanquam in aliquod pistrinum detrudi et compingi » Crassus cum indignatione videbat (5), — Charmadas intelligebat eum esse, qui « dicendi artificium » a rhetorum praeceptis accepisse sibi videretur, neque a philosophorum scholis « maximarum rerum scientiam quaesiisset » (6) ; nec vero nisi tali scientia instructum ipse Crassus oratorem a philosophorum contemptu plane subtrahebat.

Ejusmodi igitur vel auditis vel forte lectis disputationibus ad instituendam eam quaestionem, de qua Crassum et Antonium disceptantes induxit, Ciceronem adduci potuisse verisimile est ; sed quoniam — deficientibus scriptis — dijudicari omnino non potest, quid ex his recentioribus auctoritatibus Cicero ad suam rationem assumpserit, satius est statim rem ad ipsum Platonem revocare,

(1) *De Or.*, I., 82 sqq.

(2) Ibid., 89 « ... sive ille hoc ingenio potuisset, sive, id quod constaret, Platonis studiosus audiendi fuisset... » De Demosthene « Platonis auditore » Cicero suo nomine loquitur etiam in *Bruto*, 121, et in *Orat.*, 15 : quod ad Demosthenem attinet, extra nostram disputationem relinquimus : licet enim per disputationem ornatissimi viri M. Croiset, (*Des idées morales dans l'éloquence politique de Démosthène*, 1873, — praesertim in ejus libro I, cap. III, § 2) intelligere, quid ille Platonis doctrinae, etiamsi ejus auditor non fuerit, debuisse videatur.

(3) *De Or.*, I, 89-90.

(4) *De Or.*, I, 84 sqq ; 90 sqq.

(5) Cf. Ibid., 46-47.

(6) Atque ita Charmadas, — quanquam ei mos est patrius « adversari semper omnibus in disputando » (*De Or.* I, 84), — tamen magis, quam prima specie videtur, sibi constat per ea quae de eo a Crasso (46-47) et deinde ab Antonio (82, 84 sqq.) vicissim referuntur. (Cf. supra, p. 12. n. 10.)

quippe ad quem — tanquam ad « **harum disputationum inventorem et principem** (1) » — et illos ipsos recentiores philosophos, quorum opiniones Cicero Crassi aut Antonii sermonibus inseruerit, respexisse appareat (2), et Cicero certe se contulisse vel maxime videatur.

II

Horum sane dialogorum, qui *Phaedrus* et *Gorgias* inscribuntur, et propriam vim et intimam rationem explicare neque paucorum verborum res esset neque ad institutam scriptionem necessarium est, praesertim cum Cicero ipse id non multum curavisse videatur ; satis igitur hoc loco fuerit, rem eruditis notissimam breviter memorare, — ea, quae in utroque dialogo a Socrate de rhetorica disseruntur, non ad eamdem omnino rationem directa videri, quanquam ne ita quidem obscurum est, quomodo ea ipsa, quae diversa videantur, ad unam sententiam redigi possint. Nam quod ad hanc solvendam ambiguitatem Quintilianus, graviorum, ut videtur, doctorum auctoritates secutus, explicavit (3), « alios esse Platonis sermones ad coarguendos, qui contra disputant, compositos, — quos ἐλεγκτικοὺς vocant, — alios ad praecipiendum, qui δογματικοὶ appellantur », id ipsum Cicero vel ultro intellexisse vel a Graecis magistris accepisse videtur, quippe qui de *Gorgia* quidem ita loquentem Crassum suum fecerit (4) quasi Socratem in hoc dialogo non tam proprios sensus proferentem quam « oratores irridentem » « cavillantemque » sibi repraesentaret. Et quidem ille Socrates, quem ipsa institutae cum sophistis disputationis progressione in *Gorgia* eo adductum videmus, ut veram rhetoricam demonstret nihil aliud esse posse nisi eam, quae homines vi veritatis virtutisque meliores fa-

(1) et (2) Cf *De Or.*, I, 47.
(3) *Instit. orat.*, II, cap. 15, § 26.
(4) Cf. *De Or.* I, 47 ; — III, 122.

ciat (1), — idem in *Phaedro* de ea rhetorica disserit, quae ad vitam hominum et ad usum propius accedat, ea scilicet, quae latissimo sensu spectet ad hominum mentes per sermones omnis generis alliciendas (2); neque tali definitione excludit eum oratorem qui audientes a vero subducere magis quam ad verum adducere studeat; sed ne ei quidem oratori, qui officium suum a justitia ita separet atque « veris credibilia praeferat » (3), veritatem incognitam esse debere demonstrat hac ratione, quod id, quodcumque orator persuadere voluerit, vulgo probabile non aliter quam per veritatis similitudinem fiat, similitudines autem veri ab eo, qui veritatem noverit, vel aptissime reperiri possint (4). — Quod si ad talem argumentationem eam rationem admoverimus, quam cum Gorgia disputans Socrates sic profert, « eum, qui justitiam didicerit, justum fore (5), neque igitur unquam aliquid contra justitiam facturum esse », ad ipsam conclusionem deducemur, ad quam Socrates in *Gorgia* disputationem suam dirigit, « veram rhetoricam a justitia separari non posse »; sed quidem in sermone, quem cum Phaedro habet, Socrates hanc ultimam rationem non adhibet : quo in dialogo illud dumtaxat admonere vult, quarum rerum scientia ars dicendi effici possit (6), utramcumque in partem hac arte ita comparata orator usurus sit (7). Et vero,

(1) Cf. *Gorg.*, praesertim 515 sqq.

(2) Cf. *Phaedr.*, 261 A : « Ἆρ' οὖν οὐ τὸ μὲν ὅλον ἡ ῥητορικὴ ἂν εἴη τέχνη ψυχαγωγία τις διὰ λόγων... κτλ. »

(3) Utimur verbis Quintiliani, *Inst. orat.* II, cap. 15, § 31.

(4) Cf. *Phaedr.* 260 A, 262 A-B ; quae ita colliguntur 273 D : «... πίλαι... τυγχάνομεν λέγοντες, ὡς ἄρα τοῦτο τὸ εἰκὸς τοῖς πολλοῖς δι' ὁμοιότητα τοῦ ἀληθοῦς τυγχάνει ἐγγιγνόμενον · τὰς δὲ ὁμοιότητας ἄρτι διήλθομεν ὅτι πανταχοῦ ὁ τὴν ἀλήθειαν εἰδὼς κάλλιστα ἐπίσταται εὑρίσκειν... »

(5) Cf. *Gorg.*, 460 B-C : « ὁ τὰ δίκαια μεμαθηκὼς δίκαιος... κτλ. » Neque hoc loco nobis est explicandum, quantum valeat quamque late pateat haec ratio in Platonica doctrina.

(6) Quarum rerum acutissimam enumerationem repetere licet in *Phaedro*, 273 D-E ; atque etiam 277 B-C.

(7) Extrema tantum et jam perfecta demonstratione sua hoc addit, quo ipse quidem honestiorem hujus artis usum commendat : «... ἣν (πραγμάτειαν) οὐχ ἕνεκα τοῦ λέγειν καὶ πράττειν πρὸς ἀνθρώπους δεῖ διαπονεῖσθαι τὸν σώφρονα, ἀλλὰ τοῦ θεοῖς κεχαρισμένα μέν λέγειν δύνασθαι, κεχαρισμένως δὲ πράττειν τὸ πᾶν εἰς δύναμιν. » (*Phaedr.*, 273 E.)

quid inter duorum dialogorum rationes intersit, ex eo judicari potest, quod in *Phaedro* Pericles ut summus orator omnino laudatur (1), idem in *Gorgia* (atque una cum eo Themistocles aliique magni viri) non honoris causa commemoratur, sed vehementer reprehenditur (2), quod neque eloquentia sua Athenienses meliores reddiderit neque ad talem effectum ea uti curaverit.

His ita positis, facile est dijudicare, utri dialogorum, quos diximus, Cicero ut artis suae doctor et laudator se potius dare debuerit. Et quidem ipsas rationes, quibus ille Socrates a Platone inductus se Phaedro persuadere velle profitetur, « eum, nisi commode philosophetur, nunquam aliqua de re commode esse dicturum (3) », in « oratorios » Ciceronis libros translatas invenimus, praeter eam, qua maxime hunc dialogum ad sententiam in *Gorgia* explicatam accedere vidimus. Nam ne hoc quidem maxime ab illa Socratis in *Phaedro* disputatione Cicero discedebat, quod ipsa consideratione rerum, in quibus per civitates hominum oratorem versari solere videbat, eo adducebatur, ut existimaret, « oratoris omnem actionem *opinionibus*, non *scientia*, contineri » (4) ; quod autem ejus rationis vim praeteriisse videtur, qua Socrates in *Phaedro* acutissime docebat, ipsam rerum veritatem vel ei cognoscendam esse, qui audientes falsa veri specie decipere vellet, — id forsitan huic philosophandi rationi maxime assignare liceat, quam secutus M. Tullius, quasi desperata cognitione certi, non ultra veri simile mentem humanam progredi posse professus sit (5) : ad quamdam certe *locorum* e philosophia ductorum possessionem hanc veram *scientiam*, quam Socrates oratori vel in *opinionum* regione omnino versanti tanquam utilissimam ad-

(1) Cf. *Phaedr.*, 269 E-270.

(2) Cf *Gorg.*, 515 D sqq.

(3) Cf. *Phaedr.* 261 : « ... Φαῖδρον πείθετε, ὡς ἐὰν μὴ ἱκανῶς φιλοσοφήσῃ, οὐδὲ ἱκανός ποτε λέγειν ἔσται περὶ οὐδενός.. . »

(4) Utimur verbis Antonio mandatis *De Or.* II, 30. Cf. Socr. in *Phaedro*, 261 D-E. — Eodem fere modo « oratoris actionem » intelligebat Aristoteles in *Rhet* (lib. I, cap. 1-2, passim).

(5) Cf. *Tuscul.*, IV, 37, atque alios etiam locos.

jungebat, a M. Tullio quasi conversam esse, per ejus propriam de dicendi facultate sententiam mox explicabimus. Jam vero notandum est, eas ipsas rationes, quae sive de animorum generibus affectibusque ad certam eorum tractationem pernoscendis (1) sive de dialecticorum subtilitate adhibenda (2) a Socrate in *Phaedro* proferuntur, non nisi propria vi, quae eis a Platone tributa erat, exspoliatas apud Ciceronem transiisse : nam, quanquam ad Antonii personam de animi affectibus pertractandis disputantem (3) eam ipsam sententiam Cicero transtulit, qua Socrates explicat, sicut medico diligenti corporis, cui mederi is velit, naturam, ita oratori audientium animos, quos tractare debeat, accurate exploratos esse oportere (4), — tamen illam certam efficiendae « ψυχαγωγίας » (5) scientiam (quam quidem Platoni facilius fuerat animo comprehendere et oratione describere quam omnino constituere) ad modestiorem rationem usuique communi propiorem redegisse videtur ; dialecticorum autem cognitioni quantum tribueret, qui in *Oratore* ipsis fere Platonis verbis expressit (6), idem in libris *de Oratore* inscriptis ne indicaverat quidem, nisi quod « dialecticorum acumen (7) », a natura scilicet potius quam a certa scientia acceptum, in oratore requirebat. Itaque, dum tales rationes a Platone repetere videtur, vix illi Aristoteli re satisfaciebat, qui in eis *Rhetoricorum* suorum partibus (8), ubi et de variis animi affectibus tractandis et de argumentandi locis e dialectica depromendis disseruit, ejus scien-

(1) Cf. *Phaedr.* 271 B : « ... ψυχῆς γένη καὶ τὰ τούτων παθήματα ... », atque etiam 271 D – 272 ; 273 D ; 277 B.

(2) Cf. *Phaedr* 265 ; 271 ; 273 D. In *Oratore* ne id quidem praetermissum esse vidimus (Cf. supra p. 20-21) quod de μετεωρολογίᾳ (*Phaedr.* 270 A), qua Pericles ab Anaxagora edoctus mentis quamdam sublimitatem propter sublimium rerum contemplationem naturali ingenio adjunxisset, Socrates non nisi transeundo indicabat, ut qui a rerum coelestium investigatione ad hominum vitam philosophiam revocavisse dici potuerit (Cf. *Tusc*, V, 9).

(3) *De Or.* II, 182 sqq. ; Cf. supra, p. 17.

(4) Cf. *De Or.* II. 186, — et *Phaedr.* 270 B.

(5) Cf *Phaedr.* 271 C. : « ἐπειδὴ λόγου δύναμις τυγχάνει ψυχαγωγία οὖσα... » — Cf. 261 A.

(6) *Or.* 16, et 115-117. (Cf. supra, p. 20-21) ; *Phaedr.* 265 ; 271 ; 273 D.

(7) *De Or.* I, 120 (Antonius loquitur) ; cf. supra, p. 21, n. 4.

(8) In libro II.

tiae, quam in *Phaedro* Plato oratori attribuerat, quasi lineamenta secutus esse videtur, ita tamen, ut a sublimioribus Platonis formulis ad humiliorem vitae considerationem rem reduceret .

Jam vero, ut per singulas rei ita explicatae partes Platonis similitudinem verbis potius quam rebus expressam (1) apud Ciceronem invenimus, sic eam maxime persequi licet per eam latius patentem rationem quam sequens M. Tullius in illis *de Oratore* libris cum magna philosophiae commendatione quamdam ipsius rhetoricae despiciendae intentionem conjunxisse videtur. Nam ille in *Phaedro* Socrates, dum dialecticae cognitionem maximarumque rerum scientiam oratori necessariam esse docet, hoc etiam sibi proponere videtur, ut demonstret, eam artem, quae vulgo *rhetorica* appelletur, — de qua quidem a *Phaedro* simpliciter interrogatur, tanquam eam praeteriret (2), — aut nihil aut aliquid vanum ac perridiculum esse : quam eamdem ancipitem sententiam, Charmadae philosopho (sicut notavimus (3)) assignatam, cum Antonius in sermonem a Cicerone expressum introduxit, tum Crassus, explicans quatenus intellegat artem sane aliquam esse dicendi (4), et eam quidem non negligendam, ejus tamen praecepta se non ita magni facere et ipse aperte profitetur (5) et magis etiam significat dum in his cursim enumerandis (6) illam Socratis « ironiam » (7) imitari videtur ; neque igitur fortuito incidit, ut idem in tertio libro quibusdam sententiis proxime accedat ad ipsam conclusionem Socratis Phaedrum sic alloquentis (8) : « Εἰ μέν σοι ὑπάρχει φύσει

(1) Vel in *Oratore*, ubi ea de dialectica cognoscenda ratio addita est.

(2) Cf. *Phaedr.* 266 B, C, D (et supra 260 E).

(3) Cf. supra, p. 24-25.

(4) Cf. *De Or.* I, 102 sqq. (sic statuit, eam esse eo sensu, quo Charmadas dicebat (86) eam pertenuem esse, — non eo, quo idem eam nullam esse aiebat (92).

(5) *De Or.* I, 109 ; cf. III, 81.

(6) *De Or.* I, 137-145, ubi de eisdem praeceptis agitur, quos irridebat Charmadas 86. — Cf. *Phaedr.* 266, sqq.

(7) Cf. *Phaedr.* 266 D sqq.

(8) Haec Socrates in *Phaedro* 269 D (post enumerata rhetorum praecepta). Cf. Crassum in libro III, postquam « Coraces Pamphilosque » (81) irrisit,

« ῥητορικῷ εἶναι, ἔσει ῥήτωρ ἐλλόγιμος, προσλαβὼν ἐπιστήμην τε καὶ « μελέτην· ὅτου δ' ἂν ἐλλίπῃς τούτων, ταύτῃ ἀτελὴς ἔσει : ὅσον δε αὐτοῦ « τέχνη, οὐχ ἧΑυσίας τε καὶ Θρασύμαχος (1) πορεύεται, δοκεῖ μοι φαίνεσθα « ἡ μέθοδος. » Et vero Antonius, qui Charmadae philosophorum scientiam per acrem « rhetoricorum doctorum » obtrectationem amplificanti se quondam Athenis assensum esse ait (2), nunc in ipso sermone, id, quod de philosophiae utilitate detrahit (3), non arti rhetorum, — quam et ipse non semel irridendo designat (4). — sed *exercitationi* atque *usui forensi* reddendum esse indicat (5).

III

In hac contemnendae rhetorum artis intentione (cui quidem arti quantum ipse deberet, non idcirco minus sibi conscius fortasse erat), Cicero id etiam sequebatur, quod utrique dialogorum platonicorum, quos diximus, commune esse modo animadvertimus : nunc, quantum a ratione in *Gorgia* explicata discesserit, videbimus, si summam ejus in adjungenda eloquentiae philosophia rationem attigerimus Nam in dubio sane non relinquit, se in eam quidem eloquentiam libentius intueri, quae « probitate summaque prudentia jungatur » ; quarum virtutum expertibus si dicendi copia tradatur, non eos oratores effici, sed arma quaedam furentibus dari existimat (6)

haec dicentem (140) : « Sic video, unam quamdam omnium rerum, quae essent homine erudito dignae atque eo, qui in republica vellet excellere fuisse doctrinam : *quam qui accepissent, si eidem ingenio ad pronuntiandum valuissent, et se ad dicendum quoque non repugnante natura dedissent, eloquentia praestitisse* » ; — atque talia etiam III, 125.

(1) De quo Socrates dicebat in *Phaedro* 266 C. — Cf. *Or.* 39.

(2) *De Or.* I, 92-94.

(3) *De Or.* I, 219 sqq. : de qua disputatione cf. supra, p. 13.

(4) Cf. *De Or.* II, 150 : « ... inter ingenium et diligentiam perpaulum loci reliquum est *arti*... » ; ibid. 110, 117, 130, et passim. — Jam in libro I, ubi Antonius invitatus est ut ea, quae breviter a Crasso de *arte* decursa essent, dilataret et explicaret (148, 204, 207), aiebat se « non de arte dicturum, quam nunquam didicisset, sed de sua consuetudine » (I, 208).

(5) *De Or.* II, 75 sqq ; I, 260 ; et. cf. in *Phaedro* 269 D, « μελέτην ».

(6) Cf. *De Or.* III, 55 (Crassus loquitur), et 65 ; — II, 85, ubi Antonius ita loquitur : « Tantum ego in excellenti oratore et eodem bono viro pono esse

[quemadmodum fere ipse in *Phaedro* Socrates admonet, in ea arte, quam explicavit, virum prudentem non versaturum esse, nisi ut omnia potius, « quae diis grata sint », pro sua facultate et dicat et faciat (1)] : — sed ejus modi sententiis haudquaquam eamdem vim inesse perspicuum est atque illi angustae concisaeque disputationi Socratis in *Gorgia* demonstrantis, « omnino fieri non posse, ut vir dicendi peritus rhetorica utatur injuste et velit injuriam facere (2) ». Quin etiam, simul atque hanc sapientiae cum eloquentia conjunctionem Crassus Ciceronis interpres in tertio *de Oratore* libro ut maxime optandam posuit, ejusdem disputationem eo deduci videmus, ut ille Socrates, qui eam vel angustissima ratione comprehendere in *Gorgia* videtur, idem is fuisse dicatur, per quem a « sapienter sentiendi » arte ars « bene dicendi » — rupta priore utriusque conjunctione — dissociata sit (3) : quae rerum species quibus rationibus inducatur, ad ea, in quibus versamur, omnino pertinet animadvertere.

Et quidem ille Crassus a Cicerone inductus, — dum rem ab ea Graeciae aetate repetit, qua neque philosophia neque eloquentia tanquam ars sui conscia exsistebat, — eam pristinam vix inchoatarum artium confusionem, cujus gratia omnes fere artes atque doctrinae in uno viro facile conjungi possent, et laudare et desiderare videtur (4), proinde quasi non intelligeret, ut « distributione partium ac separatione magnitudines sane artium deminutas esse (5) », ita earum unamquamque non sine ejusmodi distributione adolescere potuisse. In qua sententia eo progreditur, ut ad illos « sapientes », quos vetus Graecia jactaverat, tanquam illius permixtae « cogitandi pronuntiandique rationis » exempla priscos Romanos adjungat,

ornamenti universae civitati... » — Cf. *De Inventione*, I, 5, de eis qui « eloquentia et privatim et publice abutuntur ».

(1) *Phaedr.* 273 E (graeca verba retulimus p. 27, n. 7).

(2) *Gorg.* 461 A : « ὁρᾷς δὲ καὶ αὐτὸς ὅτι αὖ ὁμολογεῖται, τὸν ῥητορικὸν ἀδύνατον εἶναι ἀδίκως χρῆσθαι τῇ ῥητορικῇ καὶ ἐθέλειν ἀδικεῖν ».

(3) Cf. *De Or.* III, 57-60.

(4) Ibid. 56 sqq., 132 sqq.

(5) Sic loquitur Crassus *De Or.* III, 132.

Coruncanios, Fabricios, Catones, Scipiones, « non tam fortasse doctos, sed impetu mentis simili et voluntate (1) ». Nec vero non jure quodam significat, veterem illam doctrinam, quae « et recte faciendi et bene dicendi magistra » eadem fuisset (2), perstitisse per eos, quos primos inter Graecos « a regendis civitatibus totos se ad cognitionem rerum transtulisse » ait (3), ut Pythagoram, Democritum, Anaxagoram : qui, cum ad anquirenda physica et cuncta caelestia se converterent (4) [unde « physicorum » nomen eis tributum est] (5), tum iidem in iis, quae ad mores et ad vitae civilis officia pertinebant, praecepta a majoribus et ab optimo quoque tradita observare non desinebant eaque vix argutioribus quibusdam sententiis excolere et ornare studebant (6) [quod quidem poetae etiam, — lyrici maxime, et ii qui γνωμικοὶ dicti sunt (7), — faciebant] Tum deinceps Gorgiam et Thrasymachum et alios vel ejusdem vel paulo inferioris aetatis, — qui « minus ipsi in re publica versati » operam suam huc contulerunt, ut « puerorum mentes ad humanitatem atque virtutem se fingere (8) » profiterentur, — Cicero per Crassum suum non absurde facit ejusdem ancipitis necdum sejunctae faciendi dicendique sapientiae doctores, qua instructos Themistoclem, Periclem, Theramenem in republica gerenda floruisse dicit (9) : dum autem Socratem illis opponit, tanquam eum, qui « sapienter sentiendi et ornate dicendi scientiam re cohaerentes disputationibus suis separavisset (10) », non curat animadvertere, eum hac ipsa separatione « sapienter sentiendi scientiam »

(1) Cf. *De Or.* III, 56 ; et rursus 134-137.

(2) et (3) Ibid. 56-57. — Nam illos « septem » omnes praeter Thalen Milesium « civitatibus suis praefuisse » Cicero notat (III, 137), — neque ad rem nostram interest, nonne falso Pythagoras ita dicatur a rectione civitatum sese abstraxisse : de quo cf. E. Zeller translat. ab E. Boutroux, *Philosophie des Grecs*, t. I, p. 73.

(4) Cf. *Tuscul.* V, 10 (de « antiqua philosophia usque ad Socratem » id dicitur.

(5) Cf. *Acad. prior.* II, 13 ; *De Or.* I, 42.

(6) De ea re cf. E. Zeller, *opus designatum* t. I, p. 437 ; t. II, p. 37 ; 342-350 ; 426; 450.

(7) Cf. Zeller, *op. design.*, t. I, p. 105.

(8), (9) et (10) Cf. *De Or.* III, 58-59-60.

tutatum esse, quippe quam ii, qui *sophistae* dicti sunt ad vanam ejus speciem (1) artificio dicendi efficiendam, — alii inviti vel inscii (2), alii impudentius (3) — redigerent. Sed, ut ab omni ejusmodi reprehensione, ita ab ista ipsa « sophistarum » appellatione eorum mentionem in suis quidem *de Oratore* libris abstraxit (4); atque, — postquam Crassum suum ita loquentem fecit, ut in eis ipsis viris, quorum Socrates exagitator fuisset, probare videatur eam sapientiae cum eloquentia conjungendae rationem, quae, nisi Socrates obstitisset, ad omnis sapientiae dissolutionem tenderet, — tum curavit etiam ut Catulus (5) reconditiorem Crassi sententiam audacius exprimeret (6) exsultaretque laudando nominatim « illos veteres doctores auctoresque dicendi », Eleum Hippiam, Prodicum Ceum, Thrasymachum Calchedonium, Protagoram Abderiten, Gorgiam Leontinum : quo in Gorgia idem Catulus id ipsum admirari se ait, quod is in Platonis dialogo, Socrate irridente, profitetur, « se de omni re, quaecumque in disceptationem quaestionemque vocaretur, copiosissime dicturum esse (7) » ; — quam ipsam professionem Cicero non modo per Crassi personam pluribus locis, sed etiam ipse in prooemiis loquens, ei oratori, quem intuetur, assumendam esse satis indicavit (8). Atque sane, quasi verecundia quadam prohibitus

(1) Cf. Plat. *Sophistam*, 233-234, ac praesertim 233 C.

(2) Ut forte ipse Gorgias, — sicut apparet ex ipso modo, quo a Platone in *Gorgia* inductus est,— et Prodicus, cujus praeclarae de virtute sententiae ferebantur ; ceteroqui cf. Zeller, *op. design.*

(3) Sicut Polus, et Callicles maxime, si quidem ex Platonis dialogo, ubi post Gorgiam inducuntur, judicari de eis licet.

(4) De ista appellatione cf. *Acad. prior.* II, 72. Quae de *sophistis* in *Oratore* (37-42, 65) disseruntur (inter quos maxime Isocraten ipso auctore per *Phaedrum* Platone Cicero mirari se ait), ad simplicem orationis — a *rebus* separatae — rationem redacta videntur : intuetur enim tanquam « sophistarum proprium » (12) illud genus epidicticum, a quo cum oratoris in causarum contentione versantis eloquentiam separat (65-68, — cf. *De Or.* II, 43 sqq.), tum hanc ipsam orationis formam « pompae aptiorem quam pugnae » (*Or.* 42), propter ornandae orationis exercitationem (cf. *Or.* 96, 207), « quasi nutricem ejus oratoris, quem informare velit » (37), judicat esse,

(5) Is initio libro II (12) inductus, et hominis Graecis litteris maxime eruditi personam gerens.

(6) *De Or.* III, 126-130.

(7) *De Or.* III, 129. Cf. Plat. *Gorg.* 447 C-D.

(8) Cf. supra p. 11-12 (de Crasso), 9 et 15 (n. 12) (de Cicerone in prooemiis).

esset patrocinium sophistae contra Platonem apertius suscipere, Catulum hoc temperamento utentem fecit, ut sic diceret, « aut non victum esse unquam *oratorem* a Socrate, neque sermonem illum Platonis verum esse ; aut, si verus sit, eloquentiorem videlicet fuisse et disertiorem Socratem, et copiosorem *melioremque oratorem* » (1) ; sed, qui *oratorem* ita defendat, eum a Socrate ad sophistam — re, si non verbis — descivisse satis perspicuum est.

Nec vero hanc sophistarum, quam nunc explicamus, commendationem ab illo minuendae rhetoricae artis studio, de quo modo diximus, repugnare existimandum est. A Catulo enim Hippias, Prodicus, Thrasymachus, Protagoras, Gorgias, non tanquam eorum dicendi praeceptorum doctores, quae ille in Phaedro Socrates his ipsis viris irridendo attribuebat (2), sed tanquam copiose et ornate quacumque de re dicendi eidem auctores et artifices, spectari et laudari videntur : sicut Crassus illam ipsam disputationem, ubi suam « ancipitis faciendi dicendique sapientiae » laudationem per Gorgiam et Thrasymachum persequitur, ad quamdam rhetoricorum etiam praeceptorum irrisionem per Coraces Pamphilosque deducit (3). Sic enim de summa rationum, quas hactenus exposuimus, judicare licet : Ciceronem, dum philosophiam oratori adjungit, in despicienda quodam modo *rhetorum* arte cum Platone eatenus consentire, ut ne *orator* eodem contemptu comprehendatur ; cumque ad *oratorem* a philoso-

Nam quod Crassus in libro I (102-103) eorum hominem impudentiam irridet, qui in conventu se ad omnia, de quibus quisque audire vellet, esse paratos denuntiarent (quod quidem primum fecisse Gorgian ipse indicat *De Or.* I, 103, – cf. *de Finib.* II, 1), — ea vituperatio ad arrogantiam omnia *sciendi* tantummodo pertinere videtur (quam ob ipsam causam ipse Catulus Hippian « nimis progressum esse » fatetur, III, 128) ; ipse enim Crassus professionem de omni re *dicendi* oratori ita vindicavit, si prius « cognoverit, ab eis qui tenent, quae sint in quaque re » ; qua accepta *scientia* oratorem multo melius, quam ipsum rei inventorem atque artificem de ea re esse *dicturum* (*De Or.* I. 51, 59, 57; 61-62, 64-65, 66-67 ; — cf. lib. II, 37) : — in quo maxime consentire videtur cum Gorgia apud Platonem inducto (*Gorg.*, 456 C, 457 A, 458 E, 459 A).

(1) *De Or.* III, 129.

(2) Cf. *Phaedr.* 267 (quo de loco jam supra diximus). — Ea praecepta ne commemorantur quidem a Catulo in sua oratione (*De Or.* III, 126 sqq.).

(3) Cf. *De Or.* III, 81.

phorum contemptu vindicandum (1) hoc ipsum argumentum a Platone in sophistas intentum adhibeat, quod orator a philosophia instructus esse debeat, — tum ne hac quidem philosophiae ad eloquentiam adjungendae ratione eum deterreri videmus a commendanda illa vaga et universa de omni re, quaecumque esset proposita, ornate copioseque dicendi professione, quae sophistarum propria fuisset. Nec vero temere effectum est, ut, quos ad philosophos recentioris aetatis hoc sophistarum institutum,— « jubere dicere, qua de re quis vellet audire », — quasi translatum ipse videret (2), per eos potissimum (quod nunc restat ad explicandum) eam philosophiae adjunctionem, quam sibi animo proponeret, oratori repetendam esse judicaverit.

(1) Hanc ipsam argumentationem Cicero tribuit suo Crasso contra philosophos disputanti, quorum in irridendo oratore consensus ab illo in *Gorgia* Socrate manavisse dicitur. Cf. *De Or.* I, 46, 47.

(2) Sicut ipse indicat, *De Or.* I, 102 ; *De F nib.*, II, 1-2 : « audax negotium (Gorgiae), dicerem impudens, nisi hoc institutum postea translatum ad nostros philosophos esset..., etc. »

CAPUT III

Qua propria ratione quaestionem de universa philosophia institutam ad certarum aetatis suae philosophiarum selectionem M. Tullius traduxerit.

I

In tertio quidem *de Oratore* libro, Cicero Crassum suum de variis philosophorum familiis a Socrate ortis statim post disserentem (1) facit, quam ab eodem de rupta a Socrate illa « sapienter sentiendi et ornate dicendi » cohaerentia (2) disputatum est : eam nimirum sapientiae cum eloquentia conjunctionem, quam vel in sophistis laudavit, a Socrate fractam esse significavit, nonnisi adsciscenda philosophorum doctrina deinceps restitui posse judicat. De magno autem philosophorum proventu, qui se omnes « Socraticos » esse dixerant (3), — amotis statim minoribus generibus Eretricorum, Herilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum, tanquam jamdiu « fractis et exstinctis » (4), — quattuor familiae Crassi selectioni proponuntur : Peripatetici et Academici (quorum utrosque ab ipso Platone, alteros per Aristotelem, alteros per Xenocratem ortos esse hoc ipso loco notatur) (5), tum Stoici et Epicurei, quorum alteri per Cynicorum quasi hereditatem, alteri per Cyrenaicos ad commune Socratis semen referuntur (6). Ac de his quattuor sectis, quas Cicero sua quidem aetate maxime florere videbat, idem per Crassi personam eo acutius disserere potuit, quod ipse propter graecorum doctorum varietatem, quorum vel disciplina

(1) *De Or.* III, 63-72.
(2) Cf. *De Or.* III, 60.
(3), (4), (5) et (6) Cf. *De Or.* III, 61-62.

vel familiaritate usus erat, a nulla earum omnino alienus ad hanc tractandam quaestionem accedebat.

Inter has igitur familias cum ultro significat se « non quaerere quae sit philosophia verissima, sed quae oratori conjuncta maxime (1) », tum ille Crassus Ciceronis interpres Epicureos primum amovet, quippe quorum definiendi « summi boni » rationem (2), « etiamsi verissima sit (3) », certe procul abesse judicet « ab eo viro quem quaerat, et quem auctorem publici consilii et regendae civitatis ducem et sententiae atque eloquentiae principem in senatu, in populo, in causis publicis esse velit » (4) ; neque vero injuria eis hoc maxime objicere sic videtur, quod « versari in republica negent esse sapientis » (5) : quod quidem quanquam eis contumeliae vertere non vult (nam eos « et bonos viros et, quoniam sibi ita videantur, beatos » esse concedit), tamen non potest se tenere quin eos facete admoneat, ne eam quidem delicatam et otiosam quietem, quam maxime cupiant, eis liberam esse posse, si id, quod de sapiente affirment, optimo cuique persuaserint (6).

Stoicos quoque — neque sine ejusdem generis ironia (7) — dimittit : dum enim eis objicit, « cum omnes, qui sapientes non sint, servi, latrones, hostes, insani esse ab eis dicantur, valde sane absurdum esse ei concionem aut senatum aut ullum coetum hominum committere, cui nemo illorum, qui adsint, sanus, nemo civis, nemo liber esse videatur » (8), ad ejusmodi irrisionem se convertit, qua in Stoicorum παράδοξα intendere Ciceroni Murenam defendenti commodum fuit ; sed haec graviora addit (9) :

Accedit quod orationis etiam genus habent fortasse subtile et certe acutum, sed, ut in oratore, exile, inusitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obscurum, inane, jejunum, ac totum ejusmodi, quo uti ad vulgus nullo modo possit : alia enim et bona et mala videntur Stoicis et ceteris civibus vel potius gentibus ; alia vis honoris ignominiae,

(1) *De Or.* III, 64.
(2) Cf. ibid. 63 ; « ... quae suscepit patrocinium voluptatis... »
(3), (4), (5) et (6) Cf. ibid. 63-64.
(7) Cf. *De Or.* III, 65: «... nec eos iratos vereor, quoniam irasci nesciunt... »
(8) et (9) Ibid. 65-66.

praemii supplicii ; vere an secus, nihil ad hoc tempus ; sed ea si sequamur, nullam unquam rem dicendo expedire possimus.

Quae huc transcribenda existimavimus, ut animadverteretur, harum rationum extrema eam, quae de illa angustiore « sapientis » definitione primum proferebatur, quasi implicari : ex quo efficitur, totam hanc de Stoicis disputationem hoc maxime contineri, quod ii cum in suo disserendi genere, tum in bonis malisque definiendis *vel a sensibus vel ab auribus vulgi abhorreant :* quod ipsum quanquam de universa philosophia Antonius dicebat in sua disputatione, qua eam oratori percipiendam esse negabat (1), tamen idem exemplis et formulis, quibus tunc utebatur, satis indicabat id de Stoicis verissime dici posse : nunc igitur illi Antonii argumentationi suam maximam vim subtrahi intelligimus, cum Crassus eos philosophos, quorum doctrina a vitae consuetudine et ab hominum moribus maxime repugnet, propter hanc ipsam causam rejiciat.

Exclusis ita et Stoicis et Epicureis, duae Peripateticorum Academicorumque familiae remanebant : sed Academicorum per unius nominis perpetuitatem duas fuisse sententias Crassus animadvertit. De eis autem, qui « veteri Academiae » praefuerant, — « Speusippo et Xenocrate, qui Platonem audierant, et qui Xenocratem Polemone et Crantore », — Cicero per Crassi personam illud dumtaxat affirmat, quod ipse ab Antiocho (2) acceperat, « nihil ab Aristotele, qui una audierat Platonem, eos magno opere dissensisse » (3) ; neque sane ulla causa erat, cur de illa « vetere Academia » plura hoc loco dicerentur, quippe quam jampridem intermissam et exstinctam, eo quidem tempore quo Crassus loquens inducitur (4), Antiochus idem, quem modo nominavimus, nondum restituisset : nam Philo, quem eo tempore Academiae coryphaeum

(1) *De Or.* I, 219. Cf. supra cap. I, p. 13.

(2) Nobilissimo Academiae philosopho, quem Athenis audierat circa annum 676. Cf. *Brut.* 315.

(3) *De Or.* III, 67. Ita quidem docuisse Antiochum apparet ex libro V *de Finib.*, 14 ; *Acad. prior.*, II, 136-137, — etc.

(4) Anno videlicet 663 (91 ante Chr.) ; neque ante annum 666 Antiochus a Philone aperte discessisse videtur (Cf. *Acad. prior.*, II, 11).

fuisse Crassus ipse in eodem sermone indicat (1), eam recentiorem sententiam fere sequebatur, cujus et auctor Arcesilas et fautor postea Carneades « novam Academiam » maxime illustraverant. Quorum quidem alterum « eximio quodam lepore dicendi usum esse », sicut ferebatur (2), Crassus memorat ; alterum « divina quadam celeritate ingenii dicendique copia » fuisse, a multis, qui eum vel Athenis vel Romae audiissent, se accepisse testatur (3).

« Hanc igitur Carneadiam aut illam Aristoteliam vim » Crassus statuit esse comprehendendam ei, qui « illam praeclaram et eximiam speciem oratoris perfecti », quam se intueri Crassus non semel significat, sibi proposuerit (4). Neque vero multo secus de philosophorum familiis judicantem Antonium ipsum in secundo libro jam audiebamus : qui, — cum ad oratoris instruendi rationem tres illos clarissimos philosophos referret (5), quos ad senatum legatos Athenienses de suis rebus miserant, — Diogenem Stoicum propter ejus « exile, aridum, concisum ac minutum sermonis genus » dimittebat, Critolaum vero Peripateticum et maxime Carneadem oratoris studio prodesse potuisse fatebatur. — Sed quid sibi velit et quo tendat haec earum philosophiarum commendatio, cujus propriae rationes neque statim prolatae neque nisi multis adventiciis rebus implicatae in ipsa Crassi disputatione inveniuntur, accuratius introspiciendum est.

II

Ac primum de ea ratione quaeramus, quae quanquam a Crasso praeteriri videtur, tamen propter Epicureorum Stoicorumque comparationem in disceptatione versatur. Nam, ut Epicureis Stoicisque ad instruendi oratoris com-

(1) Cf. *De Or.* III, 110. Post Philonem Antiochus Academiae praefuit.
(2) Post intermissum jam longi temporis spatium ; nam Arcesilas centum fere annis ante Carneadem floruerat.
(3) Cf. *De Or.*, III, 68.
(4) Ibid. 71.
(5) Cf. *De Or.*, II, 155-161.

moditatem relatis suae utrisque doctrinae — quamvis diversae — de sapiente et de rebus bonis atque malis objectae sunt, propterea quod alteri sapientem a republica et ab omni officio civili amoverent, alterorum autem praecepta sive rebus sive verbis a civitatum moribus et a vitae consuetudine abhorrerent, — ita Peripateticos eisque adjunctos veteres Academicos optimos « scientiae civilis » praeceptores, atque eosdem in suis praeceptis moderatos temperatosque fuisse satis constabat ; novae autem Academiae vim in disputando Arcesilas et Carneades eo maxime intendisse ferebantur, ut controversiam inter Peripateticos et Stoicos institutam — et a Peripateticis quidem mollius tractatam (1) — disceptarent (2). Sed tamen ipsi Peripatetici de sapiente et de retinenda affectuum mediocritate ea docebant (3), quae ab ejus oratoris, quem quaereret, officio repugnare Ciceronem non fugit : si quidem non temere Antonium suum ita loquentem fecit, ut non modo illam a Stoicis commendatam ἀπάθειαν, sed etiam hanc Peripateticorum μετριοπάθειαν ab oratorio concitandorum vel maxime animorum munere abhorrere indicaret (4). Quod si igitur ejus generis praeceptorum, quae ad ἠθικὴν pertinerent, ratio maxime habenda esset, — cum Cicero haec tria oratori efficienda esse semper statuerit, « ut doceretur is, apud quem dicatur, ut delectaretur, *ut moveretur vehementius* » (5), — ei oratoris officio quod ipse ait « partitione tertium, genere maximum » esse (6), per Peripateticos magis sane quam per Stoicos, sed non plane tamen licebat satisfieri. Neque vero hoc solum nos admonet, ut a doctrinarum moralium comparatione ad rationes alius generis rem, de qua quaerimus, traducamus.

(1) Cf. *De Finib.* III, 41.
(2) Cf. *Tuscul.* IV, 6. Et cum Zenone quidem maxime Arcesilas certamen sibi instituisse dicitur *Acad. poster.* I, 44, — sicut Carneades cum Stoicis bellum gessisse, *De Finib.* II, 42.
(3) Cf. *Tuscul.* IV ; *Acad. prior* II, 135 ; etc.
(4) Cf. *De Or.* I, 220. Vide supra, p. 13, n. 8.
(5) Cf. *Brut.* 185 ; et passim.
(6) Sic loquitur in *Bruto*, 198 ; cf. *Orat.*, 128.

Nam quod Ciceroni placuit ipsi Crassi disputationi hoc inserere, sapienter sentiendi et ornate dicendi scientiam a Socrate ita separatam esse, ut non jam iidem, velut antea, vivendi praeceptores atque dicendi essent, sed alii sapere, alii dicere studiosos docerent (1), — hac angustiore sane talis divortii definitione non adeo deceptus est, ut eum fugeret, de propria oratoris arte « non solum meliora, sed etiam plura Aristotelem Theophrastumque quam omnes dicendi magistros scripsisse » (2). Neque vero Stoicorum principes minus studiose quam ipsos Peripateticos de rhetorica scripsisse a Quintiliano (3) accepimus : sed has Cleanthis et Chrysippi de « arte rhetorica » scriptiones, — de quibus M. Tullius postea in quarto *de Finibus* libro (4) sic judicavit, « si quis obmutescere concupisceret, nihil aliud eum legere debere », — idem in suis *de Oratore* libris non immerito omittere videtur, nisi quod Crassus, ante quam Stoicos dimittat, hanc eis se gratiam habere fatetur, « quod soli ex omnibus philosophis eloquentiam virtutem ac sapientiam esse dixerint » (5) : et quidem, dum hi oratorem, nisi qui sapiens esset, esse neminem contendebant (6), eloquentiam autem, quae sapiente digna esset, ad quamdam dialecticae similitudinem convertere debebant, eam ipsam rationem (illa sane Socratica « ironia » spoliatam) repetere videbantur, qua in *Gorgia* Socrates omnem eloquentiam ad ipsam veri justique scientiam, veritatis ministram justitiaeque effectricem, redigebat (7). A qua ratione, quamvis invitus, — neque ultra, quam quod respectus morum vitaeque postulabat, — Aristoteles ille Peripateticorum princeps in suis « Rhetoricis » deflexerat : nam, cum eloquentiae caput in probationibus (in eo scilicet, quod Cicero *docendi* officium appellavit)

(1) Cf. *De Or.* III, 57 et 61 ; ac cf. supra, cap. II, p. 32-33.

(2) Ita loquentem Scaevolam facit, *De Or.* I, 43, cui Crassus hoc fere concedit (55). Cf. etiam *De Or.* III, 141 ; II, 133, 160.

(3) Cf. *Instit. Orat.* III, 1, 15 (et ibid. II, 17,2).

(4) *De Finib.* IV, 7 (Cicero ipse ita loquitur).

(5) Cf. *De Or.* III, 65.

(6) Ita loquentem Stoicum Mnesarchum Antonius audiisse se ait, *De Or.* I, 83.

(7) Cf. supra nostrum cap. II, § 2.

ponebat, tum eam partem, quae ad affectus tractandos pertinet, si non ut legitimam, at certe ut hominum corruptioni respondentem in artem admiserat (1) [qua de re quia ita judicaverat, idcirco forte dicendi artem despexisse Ciceroni visus est (2)] ; quod autem ad *docendum* attinet, idem oratorem eum esse volebat, qui in utramque partem rem propositam tractare posset : non ut is in veris causis alterutrum sine discrimine sophistarum more faceret, sed ut contrariorum argumentorum vim perspexisse sic assuefactus ad defendendam meliorem causam aptior esset (3). Et vero, quia mos ab ipso Aristotele institutus per ejus sectatores permansisset, ut haec in utramque partem *exercitatio* ad eas universi generis quaestiones, quas θέσεις appellabant, adhiberetur (4), idcirco Peripateticorum disciplinam ad efficiendam dicendi copiam vel maxime accommodatam fuisse Cicero aliis etiam locis postea judicavit (5) : haec certe ipsa per se exercitatio quam apte ad oratorem informandum pertineat, in ipsis *de Oratore* libris tum significat, cum per Crassum suum indicat, multos *locos* (6), quibus omnis oratio civilis maxime ornari possit (7), eis « ancipitibus disputationibus » contineri, « in quibus de universo genere in utramque partem disseri copiose liceat ».

Atque eodem ipsa ratio attinet, cur « Carneadia vis » Aristoteliae a Crasso adjungatur. Nam sane Arcesilas, dum instituit « non quid ipse sentiret ostendere, sed contra id, quod quisque se sentire dixisset, disputare », illud

(1) V. *Arist. Rhet.* III, 1 (« διὰ τὴν τοῦ ἀκροατοῦ μοχθηρίαν »). Cf. E. Havet, « *Etude sur la Rhétorique d'Aristote* », Paris, 1846 (p. 29-31).

(2) Cf. *De Or.* II, 160 (« ... ad dicendi artem, quam ille despiciebat... ») ; III, 141 ; *De Offic.* I, 4. — Non dicimus, jure Ciceronem id judicavisse, sed rem vel ab aliis acceptam sic, ut explicamus, interpretatum esse.

(3) Cf. *Aristot. Rhet.*, lib I, cap. I, 6 : « ἔτι δὲ τἀναντία δεῖ δύνασθαι πείθειν.., οὐχ ὅπως ἀμφότερα πράττωμεν· οὐ γὰρ δεῖ τὰ φαῦλα πείθειν· ἀλλ' ἵνα μήτε λανθάνῃ πῶς ἔχει καὶ ὅπως, ἄλλου χρωμένου τοῖς λόγοις αὐτοῖς μὴ δικαίως, λύειν ἔχωμεν. »

(4) Cf. *Orator*, 46-125.

(5) *De Finib.*, IV, 6 ; *Tusc.*, II, 9.

(6) Cf. *De Or.* III, 106-107.

(7) Cf. *De Or.* III, 104 et 120.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

ipsum a Socraticis sermonibus repetiisse a Crasso dicitur (1) : sed illud Socraticum disserendi genus Arcesilas eo immutavisse videtur, quod Socrates minutarum interrogatiuncularum subtilitate potius uteretur (2), Arcesilas vero *orationem perpetuam* libentius adhibuerit (3) ; hanc certe ab Arcesila institutam contra omne, quod propositum esset, disserendi rationem Carneades majore etiam copiose ornateque dicendi facultate illustraverat (4). eamque praestantissimo eloquentiae exemplo commendatam sectatoribus suis tradiderat. Itaque Antonius eo loco (quem modo memoravimus) (5),ubi de tribus illis philosophis Atheniensium apud senatum legatis loquitur, — dum Critolao Peripatetico propter tradita Aristotelis inventa plus quam Diogeni Stoico ad oratoris usum tribuit, — non injuria ponebat inter Critolaum eumdem et Carneadem hanc differentiam, quod alter ad oratorii studii utilitatem praecepta sane afferret, alterius vero ipsa « vis incredibilis dicendi et varietas » oratori maxime « optanda » esset (6). Atque, ut parem dicendi facultatem Carneadis discipuli non assecuti essent (7), ipse certe philosophandi modus ad exercendam eloquentiam maxime accommodatus per eos remanebat (8) : quam quidem duplicem Carneadiae disciplinae vim exprimens Philo recentior Academiae antistes propriam rhetorum exercitationem cum philoso-

(1) Cf. *De Or.* III, 67 (« quanquam id fuit Socraticum maxime ») ; *De Finib.* II, 2.

(2) « Potius » dicimus, non : unice ; nam et in multis dialogis praeclara longiorum orationum exempla sunt et in dialogo, qui *Sophistes* inscribitur (p. 217 D), ipse Socrates optionem inter orationem perpetuam et interrogatiunculas proponit. Et sane Cicero, quanquam suam Platonicae eloquentiae admirationem non semel significavit, oratorem non nisi ad vigentes aetate sua philosophias convertebat.

(3) Quanquam patiebatur (id quod postea non remansit) eum, qui audiebant, quoad poterant sententiam suam defendere (*De Finib.* II, 2).

(4) Cf. *Acad. prior.* II, 60 : « .. nisi tanta in Arcesila, multo major etiam in Carneade et copia rerum et dicendi vis fuisset. »

(5) Cf. supra, p. 40.

(6) Cf. *De Or.*, II, 160-161.

(7) Quanquam inter eos nonnulli, velut Charmadas, eloquentia et ipsi praestiterunt.

(8) Eo saltem tempore quo, adolescente Cicerone, Crassus loquens inducitur. Cf. supra, p. 39, n. 5.

phorum praeceptis alternis scholis junxisse a Cicerone dicitur (1).

III

Sic tenemus praecipuam rationem, cur ad oratoriam institutionem Peripatetici atque Academici simul a Crasso Ciceronis interprete reservati sint. Ad rem nimirum, de qua quaerimus, minime referebat, Carneadiam philosophandi rationem a Peripatetica ita discessisse, ut illud « de omnibus rebus in utramque partem dicere » apud Peripateticos nonnisi *exercitationis* causa atque fere extra ipsam eorum doctrinam institutum esset, Academici vero ad hunc modum « contra omne propositum disserendi » summam fere ipsius philosophiae rationem redegissent : ad oratoriam profecto disciplinam in utroque genere eadem fere virtus (2) non temere ponebatur. Atque dum ad ejusmodi maxime utilitatem Crassus ea convertere videtur, quae de philosophia ad oratorium usum cognoscenda primum exposuerat, plane evanescere intelligimus illud, quod maxime ab Antonio objectum erat (3), non ita multum spatii dicendi studiosis concedi, ut philosophorum scholis id temporis impertiant, quod propriis oratoris *exercitationibus* potius tribuendum sit : qui enim Peripateticis aut Academicis se tradiderit, eum per *exercitationem* oratori utilissimam ipsos *locos*, quos a se petendos esse omnes philosophi contendant, tractare ita discentem videmus, ut ne apud philosophos quidem propria illius « operarii », ad quem Antonius oratorem redigebat, institutio interrumpatur. — Rursum autem per Crassi orationem vel maxime percipimus, cur talis utilitas ab hoc doctorum genere praestari non posse existimetur, qui suam « dicendi artem », minutis quidem prae-

(1) *De Or.*, III, 110; *Tuscul.* II, 9 (Cf. supra, p. 24).
(2) Sicut dicitur a Crasso, *De Or.* III, 80 (Cf. *Tusc.*, II, 9).
(3) Cf. *De Or.* I, 256-260 ; de quibus v. supra, p. 15, n. 10 ; 19, n. 1 ; atque 31 (n. 3-5).

ceptis plerumque instructam, ab omni certe philosophia et humanitate separatam tradant (1) : quippe qui eam sane divisionem a philosophis (2) inductam assumpserint, ut omnis « oratio civilis » aut ad finitam certis temporibus ac reis controversiam aut ad infinitam de omni genere quaestionem referatur, sed iidem hoc infinitum quaestionum genus « tantummodo in prima arte tradenda nominent et oratoris esse dicant, ejus autem neque vim neque naturam nec partes nec genera proponant, ut praeteriri omnino fuerit **satius quam attactum** deseri » (3) : in quo **quantum** inepte *rhetores* fecissent, Cicero per ipsum Antonium docuit (4) in secundo libro demonstrantem « omnes controversias ad universi generis vim et naturam referri (5) », sicut in tertio per Crassum confirmat, « eas orationes ornatissimas esse, quae latissime vagentur et a privata ac singulari controversia se ad universi generis vim explicandam conferant et convertant (6) ».

Dum igitur sic explicat, oratorem « in universorum generum infinitis disceptationibus exercitatum (7) » esse debere, duplici quasi ratione Crassum ea repetentem videmus, quae de conjuncta apud antiquos dijunctaque a Socrate dicendi sentiendique doctrina ante disseruit (8) : non modo

(1) Quae cur in rhetores latinos maxime cadant, Crassus explicat, III, 93-94, dum in eosdem propter hanc ipsam causam a se censore animadversum esse dicit.

(2) Peripatiticis videlicet aut Academicis ; cf. *De Or.* III, 109.

(3) *De Or.* III, 110 (Cf. II, 78) ; cum contra ipsarum « *causarum*, (id est finitarum certis temporibus ac reis temporibus controversiarum) cognitionem exercitationemque celebratam esse » Cicero animadvertat.

(4) Cf. *De Or.*, II, 78 ; 133-139. — In libro *de Inventione* I, 8, Hermagorae « amentia » contra in eo reprehenditur, quod is utrumque quaestionum (finitarum et infinitarum) genus oratori attribuerit : hoc scilicet loco Cicero eorum rhetorum, quorum postea « artem » irrisam ab ipso videmus, opinionem et morem, ut ex eorum schola recens, sequitur. Et quidem, quatenus ipsam hujus generis quaestionum tractationem o atori Cicero postea re adjunxerit, inferiore loco indicabimus (in cap. IV partis II, p. 114) : nunc quaerimus, quatenus earum tractatio ad oratoriam institutionem *exercitationis causa* pertinere Ciceroni visa sit.

(5) *De Or.*, III, 133. — Cf. ibid. II, 67-68.

(6) *De Or.*, III, 120. Qua videlicet ratione ductus Crassus causas finitas atque quaestiones infiniti generis in eadem divisione conjungere videtur. Cf. *De Or.* I, 139 («in utraque autem... »), et III, 111-118.

(7) *De Or.*, III, 125.

(8) Cf. supra, nostrum cap. II, § 3.

enim, quia et ejusmodi disceptationum *materiam* (1) ii qui dicendi magistros se profiteantur dimiserint neque rursus « tam sit acris acies in naturis hominum et ingeniis, ut res tantas quisquam nisi monstratas possit videre (2) », idcirco ea, quae non aliunde sumi possint, a philosophis sumenda esse fatetur (3), ita quidem, ut orator haec tanquam amissam « possessionem » recuperare (4) sibi videatur, atque « ubicumque constiterit, consistere in suo (5) »; sed ipsam in contrarias partes disserendi *exercitationem*, quam duarum, quas commendat, philosophiarum propriam nunc videri dicit, hanc commemorat « apud antiquos fuisse eorum, a quibus omnis de rebus forensibus dicendi ratio et copia peteretur » (6) ; quod autem talia in nullos alios de illis « antiquis » aptius quam in sophistas caderent, — qui Gorgiam ejusque aemulos ita, ut diximus (7), laudabat, is non multum curare debuit. Et vero, ut in nonnullis rebus haec Crassi disputatio temeritatis cujusdam facile convinci possit, summa certe rationis ab eodem explicatae non ineleganter sic concluditur : cum Peripatetici et Academici ad oratoriam institutionem utiles eo maxime dici videantur, quod adhibenda ad *scientiam civilem* hac in utramque partem disserendi *exercitatione* (8) aliquam imaginem eorum retulerint, qui eidem vivendi atque dicendi praeceptores ante fuissent (9), tum oratorem eorum disciplina in majorum suorum quasi regno (10) restitutum illam pristinam « dicendi intelligendique societatem (11) » in se ita renovaturum esse, ut idem ancipitem *oratoris* et *philosophi* speciem repraesentaturus sit (12).

(1) De qua vide *De Or.*, III, 122.
(2) *De Or.*, III, 124.
(3) Ibid. 122-123.
(4) Ibid., 122; cf. 110 : — quod contra dicebat Scaevola, I, 41 (« .. in alienas possessiones.. ») et Antonius, I, 218 (Cf. supra, p. 19 : «... neque ut sua possedisse, sed ut aliena libasse »).
(5) *De Or.*, II. 124,
(6) *De Or.*, III, 107.
(7) Cf. supra, nostrum cap. II, § 3, p. 33.
(8) Cf. *De Or.*, III, 109, et 107.
(9) *De Or.*, III, 57, 59, 126. Cf. supra, nostrum cap. II, § 2.
(10) Sic loquitur Catulus, *De Or.*, III, 126.
(11) Sic loquitur Crassus, *De Or.*, III, 73.
(12) Ita Crassus disputationem suam concludit, *De Or.*, III, 142: « Nunc,

IV

Jamnunc perspici potest, quomodo in libris *de Oratore* inscriptis ea, quae de philosophiae utilitate primum ponebantur, ad certarum philosophiarum commendationem conversa sint. Nec vero mirabimur, in eo libro, qui *Orator* inscribitur, — ubi de universa philosophia eamdem fere atque in illis *de Oratore* libris sententiam, vel novis rationibus auctam, agnovimus (1), — alteram quaestionis partem quasi obscuratam et fere omissam esse. Cum enim de hujus libri ratione M. Tullius aperte professus sit, « se nulla praecepta ponere, neque enim id suscepisse, sed excellentis eloquentiae speciem et formam adumbrare, *neque, quibus rebus ea pararetur, exponere*, sed qualis sibi esse videretur » (2), haud profecto exspectandum erat, eum, dum summam oratoris ἰδέαν describendam sibi proponit, ad explicandam *exercitationis* virtutem quasi descensurum esse. Quanquam de Aristoteliae exercitationis utilitate ipsam sententiam per Crassum explicatam repetere videtur, dum admonet, oratorem, « non illum vulgarem, sed hunc excellentem, a propriis personis et temporibus semper, si possit, avocaturum esse controversiam », animadvertitque simul, « in hac quaestione, quae a propriis personis et temporibus ad universi generis orationem traducta θέσις appellatur, Aristotelem adulescentes non ad philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad *copiam* rhetorum in utramque partem, ut ornatius et uberius dici posset, exercuisse » (3). Quod autem in exponenda dialecticae cognoscendae utilitate, — quam ratio-

sive qui volet, eum philosophum, qui copiam nobis rerum orationisque tradat, per me appellet oratorem licet ; sive hunc oratorem, quem ego dico sapientiam junctam habere eloquentia, philosophum appellare malet, non impediam... »

(1) Cf. supra, nostrum cap. I, p. 21.

(2) *Orat.*, 43.

(3) *Orat.* 45-46 ; et 125.

nem in illis *de Oratore* libris praeterierat (1), — Stoicos, quos cum per Antonium tum per Crassum dimittebat (2), Peripateticis ita adjungere videtur, ut dialecticorum cognitionem vel ab illa « antiqua » (Aristotelia scilicet) vel ab hac Chrysippi disciplina oratori petendam esse censeat (3), non idcirco negat ab oratoria « copia » magis repugnare Stoicorum « spinosius » disserendi genus : quod quidem si non satis in *Oratore*, at certe in eo libro, quem *Brutum* inscriptum statim ante ediderat, plane significavit.

Neque enim temere in hoc libro, postquam de « Stoicis », ut dicit (4), oratoribus, Rutilio, Scauro, deque eorum dicendi genere disseruit (5), Brutum ita exclamantem facit (6) : « Quam hoc idem in nostris contingere intelligo « quod in Graecis, ut omnes fere Stoici prudentissimi in « disserendo sint et id arte faciant sintque architecti paene « verborum, iidem traducti a disputando ad dicendum « inopes reperiantur... » ; nam ipse Bruto — Catonem quidem, avunculum suum, excipienti (7) — sic respondet : « Non, Brute, sine causa, propterea quod istorum in dia- « lecticis omnis cura consumitur, vagum illud orationis « et fusum et multiplex non adhibetur genus ; tuus autem « avunculus, quemadmodum scis, habet a Stoicis id, quod « ab illis petendum fuit : sed dicere didicit a dicendi ma- « gistris eorumque more se exercuit... » (8). Atque haec adjicit, quae cum sententiae per Crassum explicatae plane respondere, tum eam ad subtiliorem etiam definitionem adducere videntur :

Quod si omnia a philosophis essent petenda, Peripateticorum institutis commodius fingeretur oratio : quo magis tuum, Brute, judicium probo, qui eorum philosophorum sectam secutus es, quorum in doctrina atque praeceptis disserendi ratio conjungitur cum suavitate dicendi et copia; quanquam ea ipsa Peripateticorum Aca-

(1) Cf. supra, nostrum cap. I, p. 21.
(2) *De Or.*, II, 160 ; III, 65-66 (Cf. supra, p. 39-40).
(3) *Orat.*, 115.
(4) Cf. *Brut.*, 116.
(5) et (6) *Brut.*, 110-117, 118.
(7) « In quo perfectissimo Stoico summam eloquentiam non desiderare » se ait.
(8) *Brut*, 119-120.

demicorumque consuetudo in ratione dicendi talis est, *ut nec perficere oratorem possit ipsa per sese nec sine ea orator esse perfectus :* nam, ut Stoicorum astrictior est oratio aliquantoque contractior, quam aures populi requirunt, sic illorum liberior et latior, quam patitur consuetudo judiciorum et fori...

Neque enim Cicero, dum in tertio *de Oratore* libro Stoicos propter eorum exilem jejunamque disserendi subtilitatem rejiciebat (1), idcirco ipsum Peripateticorum Academicorumque genus ad « forensem contentionem » omnino traducendum esse significabat : sed hoc dumtaxat admonebat, per horum utrorumque maxime exercitationem oratorem ea « rerum orationisque copia (2) » instrui posse, quam deinceps ad « causarum contentiones (3) » et ad « forenses nervos (4) » ipse accommodaturus esset.

Quod autem et in *Bruto*, — Academiam *veterem* (in qua Brutus eruditus erat) (5) cum Peripateticis, ut solet, conjungens, — novam omnino omisit neque in *Oratore* ad Aristoteliam, quam commemorat (6), « in utramque partem » exercitationem, adjungit illam Carneadiam « contra omne, quodcumque propositum esset, disserendi (7) », — id ad quamdam temporum rationem maxime posse referri videtur : Carneadia enim sententia, quam ille Crassus a Cicerone inductus per Philonem adhuc vigere videbat (8) [neque ea Antiocho veteris Academiae restauratori tam mature forsitan cessisset, ut Cicero vel ipso tempore, quo per Crassi personam sic loquebatur, omni patrocinio eam carere videret (9)], tum certe, cum *Brutum* et *Oratorem* scribebat, ab Antiocheis partibus oppressa, « propemodum

(1) Cf. supra, p. 38.
(2) Cf. *De Or.*, III, 142 — (adjuvante sane *natura*, ut indicatur ibid. 125).
(3) Ita loquitur Antonius, *De Or.*, II, 72.
(4) Cf. *De Or.*, III, 80; — I, 81.
(5) Ab Antiocho renovata. Cf. *Brut.*, 120, 332, 315.
(6) *Orat.*, 46, 127. Cf. supra, p. 48.
(7) *De Or.*, III, 80. Ipsius tamen Carneadis auctoritatem in definienda propria *elocutionis* vi Cicero in *Oratore* (52) profert, ut doceat, quanti eam faciat.
(8) *De Or.*, III, 110.
(9) Quanquam non multi Philonis sectatores post eum nominari possunt, praeter illum Heraclitum Tyrium, de quo mentio fit *Acad. prior.* II, 11. (Cf. E. Zeller, *op. design.*)

orba in ipsa Graecia (1) » facta erat : quam disciplinam cum « dimissam revocare (2) » se paulo post professus sit, tum vel maxime re demonstravit, « cum hoc philosophiae genere, quod ipse sequeretur, magnam esse oratori societatem » (3).

V

Jam vero in eis libris, quos ad hanc philosophandi rationem composuit, per ipsam singularum philosophiarum explicationem non semel in occasionem incidit, ut in eis ad oratoris rationem similiter atque antea referendis vel acutiora notaret. Velut Epicureorum genus « minime aptum ad dicendum (4) » sibi videri significat non modo ob eam causam — quam in tertio *de Oratore* libro (5) solam afferebat — quod illi ab omni officio civili vel etiam virili repugnent, sed etiam propterea quod ipsius Epicuri exemplum secuti et orationis ornamenta neglegant (6) et ipsam « disserendi elegantiam » contemnant (7). Academiae vero oratoriam excellentiam maxime amplificans invenitur initio quarti *de Finibus* libri (8), ubi Stoicis a Catone laudatis Peripateticos veteresque Academicos opponit (quos quidem non modo ad oratoriae institutionis, sed etiam ad moralis doctrinae rationem eum in ipsa Crassi sui disputatione jam ita conjungentem vidimus) (9), ad eorumque dicendi virtutes exprimendas ipsam fere summi oratoris definiendi formulam, quam in suo *Oratore* modo protulerat, repetere videtur :

(1) Ipse Cicero ita loquitur, *De Nat. deor.* I, 11; nam quod eam « *jam pridem* relictam » esse quidam dicebant (Cf. ibid., 6), id ipsum a Cicerone refellitur.
(2) Cf. *Acad. prior.* II, 11.
(3) Sicut loquitur Cicero, *De Fato*, 3.
(4) Sicut dicit in *Bruto* (131) de T. Albucio, « perfecto Epicureo », loquens.
(5) 63-64, cf., supra, § 1, p. 38.
(6) Cf. *De Finib.*, I, 14.
(7) Cf. *De Finib.*, II, 27, et passim.
(8) *De Finib* , IV, cap. 2 sqq.
(9) *De Or.*, III, 67, cf. supra, p. 39.

Quam multa illi de re publica scripserunt, quam multa de legibus! quam multa non solum praecepta in artibus, sed etiam exempla in orationibus bene dicendi reliquerunt! Primum enim ipsa illa, quae subtiliter disserenda erant, polite apteque dixerunt tum definientes tum partientes, ut vestri etiam (1), sed vos squalidius, illorum vides quam niteat oratio! Deinde ea, quae requirebant orationem ornatam et gravem, quam magnifice sunt dicta ab illis, quam splendide! de justitia, de temperantia, de fortitudine, de amicitia, de aetate degenda, de philosophia, de capessenda re publica, hominum nec spinas vellentium, ut Stoici, nec ossa nudantium, sed eorum, qui grandia ornate vellent, enucleate minora dicere (2)...

Sic praecipuam Academiae ad oratorem instituendum commendationem in eo poni videmus, quod ab Academicorum principibus disserendi non dialectice solum, sed etiam oratorie praecepta — et exempla simul — traderentur (3), cum contra Stoici anguste disserendi arte sane eminuissent (quam ob causam « dialectici » ii potissimum dicti erant) (4), sed iidem disputandi subtilitati copiose dicendi exercitationem non adjunxissent Nec vero M. Tullius, quia in hoc ipso quarto *de Finibus* libro (5) de Stoicis hanc Carneadis opinionem (6) sibi assumit, « in omni hac quaestione, quae de bonis et malis appelletur, non esse inter Stoicos et Peripateticos rerum discrepantiam, sed, verborum », idcirco ab ea ratione demovetur, quam per Crassi personam in Stoicos propter eorum de bonis et malis sententiam intenderat (7) : cum enim in oratore verba maxime spectentur, illa a Stoicis tentata « veteris philosophiae correctio (8) » — ut nomina rerum tantummodo commutaverit — nihilominus ea existimatur, « quae omnino aditum nullum habere possit in urbem, in forum,

(1) Cicero Catonem Stoicorum defensorem alloquitur.

(2) Sic legimus scriptum *in Orat.* 100-101 : « is erit igitur eloquens, qui poterit parva summisse, modica temperate, magna graviter dicere... »

(3) Eadem fere eodem modo dicuntur de Academia a Pisone in libro *De Finib.*, V, 10, — atque etiam in *Partit. orator.*, 139.

(4) Cf. *Orat.*, 114 ; *Partit. orat*, 139.

(5) Cf. cap. 2 sqq.

(6) Ut apparet ex lib. *De Finib.*, III, 41; eamdem fere opinionem Antiochus, in ipsa Academia « Stoicorum adstipulator » (Cf. *Acad. pri.*, II, 67), tutatus erat.

(7) *De Or.* III, 66 (atque I, 218). Cf. supra, p. 39.

(8) Sic loquitur Cicero, *De Finib.*, IV, 21. (Cf. *Acad. poster.*, I, 35.)

in curiam (1) ». Sed, qui Catone audiente talia disserentem se faciebat, idem ejusdem Catonis exemplo proferendo alias fatebatur, ab oratore effici posse, ut ipsae Stoicorum sententiae ad usum popularem et civilem quodam modo accommodarentur : hunc enim Catonem, — cujus dicendi facultatem tanquam singularem in Stoico homine neque sane a Stoicorum disciplina acceptam (2) in *Bruto* laudabat, — in « Παραδόξων » prooemio commemoravit, « in senatu locos graves ex philosophia tractare solitum esse abhorrentes ab usu forensi et publico », sed adhibitis oratoriis ornamentis hoc tamen consecutum esse, ut ea, quae non sane probarentur in vulgus, etiam populo probabilia dicendo fierent (3). Et vero, dum ipsa stoica verborum acerbitas aut rejiciebatur aut certe dicendi ornamentis quasi involuta obtundebatur, extenuabatur etiam id ipsum, quo omnem Stoicorum a Peripateticis discrepantiam Cicero referri volebat : quod quidem ita fuisse ipse Cicero significat in quarto *de Finibus*, ubi, quae de verborum ab usu populari abhorrentium « inanitate » (4) Catoni Stoicorum patrono objicit, ea huc convertit, quod « ista philosophia communi more in foro loquatur, in libellis suo (5) » ; neque igitur temere in secundo libro Epicureorum sententiis, quas ne suos quidem sectatores in publicos conventus proferre ausuros esse contendit, opponebat « illa, quae Peripatetici, quae Stoici dicunt (6) », proinde quasi utrorumque sententiae conjuncte ad usum forensem proferri et possent et solerent. Nec vero ad nostram scriptionem refert, Ciceronem de Stoicorum a

(1) Cf. *De Finib.*, IV, 21.

(2) Sed « a dicendi magistris », naturam sane adjuvantibus. Cf. *Brut.*, 119 (cf. supra, p. 49).

(3) Ipsa Tulliana verba excerpimus ex *Paradox.* prooemio, 1-3.

(4) Sicut dicit *De Finib* , IV, 23. — Ad « condemnandam istam verborum inanitatem » Cicero hoc loco utitur ipsius Panaetii (« Stoicorum principis, » ut dicitur *De Divinat.*, I, 6 ; II, 97) exemplo, qui alio loco (*De Fin.*, IV, 79) dicitur veterum Stoicorum « tristitiam atque asperitatem fugisse nec acerbitatem sententiarum nec disserendi spinas probavisse ». (Cf. de eodem « ad usum popularem atque civilem de republica disserente », *De Legib.*, III, 14.)

(5) *De Finib.*, IV, 22.

(6) *De Finib.*, II, 76. Cf. *Tusc.*, III, 51.

Peripateticis dissensione non item semper judicavisse, atque aliquando ad Stoicos ut philosophum magis inclinavisse propter hoc ipsum, quod per eos potissimum « in philosophi gravitate aliquid grandius diceretur quam in vulgi opinione stultorumque turba (1) » : ut orator certe, ab ea commendandae Academiae ratione, quae ad traditam copiose dicendi artem, — eamque ne a subtilitate quidem disserendi alienam, — pertinebat, nunquam destitisse videtur.

(1) Cf. *Tuscul.*, V, 46.

CAPUT IV

Summa rationis hactenus expositae repetitur atque concluditur.

Dum ea, quae M. Tullius de singulis philosophiis ad dicendi utilitatem relatis in suis *de Oratore* libris per Crassi praesertim personam disseruerat, per eos libros, quos postea scripsit, persequimur, — ipsam perspeximus constantissimam eamdemque certissimam rationem, quo omnis haec Tulliana philosophiae ad eloquentiam adjunctio spectare videtur. Neque enim sine causa ille Crassus a Cicerone inductus, — ut in ea sermonis parte, quae ad *copiose ornateque dicendi* explicationem reservata est, quaestionem de universa philosophia prius institutam repetiturus et ad certam variarum philosophiarum selectionem traducturus est, — ita primum opinioni eorum adversatur, « qui tanquam ab animo corpus sic a sententiis verba sejungunt (1) ». Nam quod idem in hac ipsa disputatione statuit « *summam laudem eloquentiae* esse *amplificare rem ornando* (2) », ejusmodi profecto amplificationem a se commendari satis significat, quae non « verborum volubilitate inani (3) », sed « rerum copia verborum copiam gignente (4) » efficiatur : ex quo intelligi potest, oratorem ad eas ornate copioseque dicendi virtutes, in quibus maxima laus eloquentiae contineatur (5), eo propius et commodius accessurum esse, quod in ea ma-

(1) *De Or.*, III, 24 (et 19). Cf. supra, cap. I, p. 18, n. 2.
(2) *De Or.*, III, 104.
(3) Ita loquitur ipse Cicero in prooemio, I, 17 (Cf. 20).
(4) *De Or.*, III, 125 ; — Cf. 121 (« complendum pectus *maximarum rerum copia...* »), et 142 (« copiam *rerum* orationisque »). — Cf. etiam Antonium in libro I, 250 (cap. 59), et II, 146.
(5) Cf. *De Or.*, III, 52.

teria, quae ei subjecta sit (in omnibus videlicet, quae ad hominum vitam pertineant) (1), « rerum copiam » ab ipsis philosophis repetierit. Dum autem philosophiae ad dicendum utilitatem sic comprehendit, non immerito M. Tullius dicendi studiosis eos potissimum philosophos designabat, a quibus eisdem, simul atque rerum copia, ipsa dicendi suavitas et copia (2) per assiduam exercitationem traderetur. Nec vero haec Academicorum Peripateticorumque exercitatio eo solum commendabatur, quod per eam potissimum orator hoc consequi posset, ut « rerum abundantiam » oratio polita et ornata quasi sponte sua sequeretur (3) ; sed eadem ad eos ipsos *locos* pertinebat, quorum facili tractatione res — a propria ac definita hominis ac temporis ad communem quaestionem universi generis traducta (4) — dilatari et amplificari ornando (5) maxime posset : nam quod in ejusmodi locis orationi inserendis Cicero admonet (6), « oratorem » suum « non Peripateticorum more, sed aliquanto nervosius » dicturum esse, hoc ipso satis significat, hanc « elegantem ab Aristotele constitutam exercitationem » ad eloquentiam vel forensem quam proxime accedere sibi videri.

Nec vero fortuito incidit, ut peracto demonstrationis nostrae quasi curriculo ad eam ipsam rationem reducamur, quam de *locis* e philosophia ad oratorium usum arcessendis allatam primum notabamus : quippe cum alio etiam modo agnosci possit, hujus potissimum rationis momento a summa philosophiae cognoscendae necessitate ad Peripateticorum Academicorumque selectionem quaestionem traductam esse. Nam in ejusmodi utilitate, quae in pernoscendis hominum naturis ad tractandos eorum animos ponebatur, nullam causam prolatam vidimus, cur certae disciplinae aliis anteferrentur, — et quidem, cum ad eam rem ipsam propter se considerandam Cicero se

(1) Cf. *De Or.*, III, 54.
(2) Sicut dicitur in *Bruto*, 120. (Cf., supra, p. 49.)
(3) Cf. *De Or.*, III, 125 (extremis verbis).
(4) Ita dicitur in *Bruto*, 322.
(5) Cf., *De Or.*, III, 104; *Or.*, 125-126.
(6) Cf. *Orat.*, 127. — Cf. supra, p. 50.

contulit, tum Stoicos maxime commendavit, tanquam in partiendis et definiendis et describendis animi perturbationibus acutissime versantes (1); in ea autem utilitate, quae ad cognoscendam dialecticam spectaret, ab ipso M Tullio Stoicos Peripateticis ita adjunctos vidimus (2), ut hujus rationis momento Epicurei soli, tanquam dialecticae negligentes, excludi videantur. — Neque rursus temere effectum est, ut ad demonstrandam philosophiae utilitatem plurimum ei rationi tributum sit, ex qua maxime appareat, quantum *exercitatio* (3) *doctrinae* juncta ad efficiendam eloquentiam valeat : cum contra ad tractandos hominum affectus vel ad assequendam argumentandi subtilitatem, etsi ars non sit inutilis, tamen natura potissimum duce, praesertim accedente usu forensi, orator utatur : quod videlicet in hanc sententiam a Charmada aperte disputatum Cicero referebat (4), idem — quamvis tacitus — ipse expertus significavit. Et quidem, quantum in talibus rationibus a Platone repetendis (neque eis sane nisi ab ejusdem sublimitate deflexis) Cicero oratoriae laudis amplificandae studio concesserit, ex eo suspicari licet, quod ab ea contentione inter philosophos et oratores instituta ipsa in illis *de Oratore* libris explicata disceptatio proficisci ad eamque saepius reduci videtur ; atque illa Tulliana adjungendae oratori philosophiae ostentatio in vanum quiddam recidere fortasse existimanda esset, nisi ea ratio accessisset, quam ad « locorum » in dicendo persaepe incidentium tractationem per certarum philosophiarum commendationem spectare vidimus : quae quidem ratio quam apte ad ipsum Ciceronis genus dicendi pertinuerit, et jamnunc perspici potuit et per secundam nostrae scriptionis partem explicaturi sumus.

(1) Cf. *Tuscul.*, IV, cap. 5 sqq.

(2) In *Orat.*, 114 (Cf. supra, p. 49), quoniam hanc de dialectica cognoscenda rationem in *Oratore* demum Cicero protulit (Cf. supra p. 21).

(3) Ea videlicet, quae apud Peripateticos Academicosque celebrabatur. Cf. *De Finib.*, IV, 10 : « Etsi ingeniis magnis praediti quidam *dicendi copiam* sine ratione consequuntur, ars tamen est dux certior quam natura. »

(4) Per Antonii personam, *De Or.*, I, 90. (Cf., supra, p. 25, n. 3.)

PARS II

Quomodo M. Tullius suum philosophiae studium ad forensem eloquentiam ex ercendam adhibuerit.

CAPUT I

Quomodo suam rationem de philosophia ad oratorium usum cognoscenda M. Tullius ad suam propriam dicendi laudem pertinere ipse significaverit.

Ipse sane M. Tullius non abstinuit, quin hac philosophiae ad eloquentiam adjunctione — qualem eam explicavit — cum ad universam dicendi artem omni laude cumulandam (1), tum ad suam ipsius in hac arte excellentiam significandam uteretur : quam ad excellentiam omnibus modis declarandam ut totam eorum librorum, quos « oratorios » appellavit, seriem tendere satis apparet, ita in eis praesertim, quos *de Oratore* inscriptos primum edidit, hoc argumentum e philosophiae cognitione ductum ad ejus rei demonstrationem adhibuisse videtur, — quasi minus invidiosum sibi fore existimavisset, si tantam sui ipsius commendationem ad certam *doctrinae* accessionem potius quam ad singularem *ingenii* praestantiam referre videretur. Et quidem ad relaxandam paulisper hujus nostrae disputationis severitatem opportune incidit, ut nobis hoc loco animadvertendum sit, quali artificio ipsos superioris aetatis homines, quos his libris induxit, ad talis consilii commoditatem loquentes fecerit.

Sic in primo *de Oratore* libro ipse ille Crassus fatetur se « eam scientiam quam adjungat oratori, non complexum

(1 Sicut *De Or.*, I, 20; atque passim.

esse (1) », ut qui « ad agendum ante quam ad cognoscendum venisset », postea autem maximis occupationibus implicari non desierit (2) : quod idem in ceteros aut aequales aut veteris memoriae oratores cadere cum Scaevola (3) Crassi excellentiam laudando satis indicavit, tum Antonius planius confirmat, quippe qui ad ipsam opinionem, quam de philosophia in oratore requirenda apud Charmadam probavisset, id pertinuisse dicat. quod in libro quodam scripserit, « disertos se cognosse nonnullos, eloquentem neminem (4) » : quibus verbis commemorandis quid Cicero sibi voluerit, intelligere licet ex iis, quae statim addentem Antonium fecit (5) :

Ego, quantum auguror conjectura quantaque ingenia in nostris hominibus esse video, non despero fore aliquem aliquando, qui et studio acriore, quam nos sumus atque fuimus, et otio ac facultate discendi majore ac maturiore et labore atque industria superiore, cum se ad audiendum, legendum scribendumque dederit, exsistat talis orator, qualem quaerimus, qui *jure non solum disertus, sed etiam eloquens dici possit* : qui tamen mea sententia aut hic est jam Crassus, aut si quis pari fuerit ingenio pluraque quam hic et audierit et lectitarit et scripserit, paulum huic aliquid poterit addere.

Hanc sane Crassi Antoniique de semetipsis modestiam in secundi libri prooemio Cicero refellere videtur, — quatenus quidem ad rem, de qua eos disputantem faciebat, utriusque exemplo demonstrandam referebat (6) ; atque ipsa talis sermonis explicatione, qualem tanquam inter eos habitum litteris mandabat effici voluisse se ait, « ut illa opinio, *quae semper fuisset*, tolleretur, alterum non doctissimum, alterum plane indoctum fuisse (7) » ; sed tertio libro Crassum suum faciebat idem alio modo

(1) Verbis Scaevolae mandatis (77) utimur. (Cf. supra, p. 12.)
(2) *De Or.*, I, 78-79 (Crassus loquitur) ; Cf. 71.
(3) *De Or.*, I, 77
(4) *De Or.*, I, 94 — Cf. *Orat.* 18, 105, unde hanc sententiam in romanam eloquentiam tantum cadere apparet.
(5) Ibid., 95. Cf. 79, ubi Crassus dicit : «... quid censes, si ad alicujus ingenium vel majus illa, quae ego non attigi, accesserint, qualem illum et quantum oratorem futurum?
(6) et (7) Cf. *De Or.*, II, 1-7.

iterantem, quod is primo jam declarabat, se ea studia, « quae ipse non attigisset (1) », in oratore, « summo scilicet », requirere (2).

Atque extremis quidem hujus sermonis verbis Hortensium adulescentem ita designari fecit, ut eum omnibus laudibus, quas oratione complexus esset, excellentem fore Crassus auguraretur (3) : hunc videlicet honorem litterate tribuere Cicero voluit ei adhuc viventi aemulo, « cum quo certare gloriosius sibi fuisset » (ut posterius scripturus erat) « quam omnino adversarium non habere » (4); sed in eo libro, quem ejusdem mortui ingenium sic commemorando orsus est, — eo, qui *Brutus* dicitur, — satis significavit, in quem tanta laus, quantam diximus, verius transferenda esset : quo in libro, postquam oratorum gradus aetatesque usque ad Hortensium notavit. — ubi ad eam aetatem pervenit, qua, « deflorescente » (5) jam Hortensio, ipse « animos hominum ad se dicendi novitate convertens » inducitur (6), — tum ad indicandum, quae illa « dicendi novitas » esset, eis verbis utitur, quae quomodo ad illas disputationes « *de Oratore* » inscriptas referri possint vix animadvertere necesse est :

Nihil de me dicam: dicam de ceteris, quorum nemo erat qui videretur exquisitius quam vulgus hominum studuisse *litteris, quibus fons perfectae eloquentiae continetur, nemo qui philosophiam complexus esset matrem omnium bene factorum beneque dictorum,* nemo qui jus civile didicisset rem ad privatas causas et ad oratoris prudentiam maxime necessariam, nemo qui memoriam rerum Romanarum teneret,... nemo qui dilatare posset atque a propria ac definita disputatione hominis ac temporis ad communem quaestionem universi generis orationem traducere (7)...

Et quidem, - ut de ista vix dissimulata sui laudandi ar-

(1) Ut idem dicit, *De Or.*, I, 79.
(2) *De Or.*, III, 83-84, 90.
(3) *De Or.*, III, 228 230 : «... *nihil* isti adulescenti neque a natura neque a *doctrina* deesse sentio..., » etc.
(4) Cf. *Brut.*, 3.
(5) Sic de eo loquitur in *Bruto*, 317.
(6) *Brut.*, 320-321.
(7) *Brut.*, 322; ea excerpsimus, quae maxime ad rem praesentem attinent.

rogantia hoc tantum retineamus quod maxime ad nostram scriptionem pertinet, — hanc certe praecipuam *doctrinae* laudem Ciceronem non immerito sibi vindicavisse fatendum est; neque injuria effectum esse videtur, ut ex tota oratorum serie in *Bruto* explicata sic intelligeretur, quibus ante Ciceronem ad obtinendam per singulas aetates singularem dicendi laudem neque ingenium neque usus assiduus neque amplissimae causae defuissent, eosdem graviorum artium (1) subsidio non satis instructos fuisse, aut, si qui philosophia eruditi ad causas dicendas accessissent, hos eis philosophiis (2) usos esse, quibus oratoriam facultatem minus ali posse, ut Cicero judicavit (3), ita ipsi suo dicendi genere ante demonstravissent.

Neque igitur sine causa M. Tullius, cum in extrema *Bruti* parte — laboris, ut ipse ait, non ingenii sui praedicator (4) — sua apud philosophos studia describit, tum Epicureorum doctorum, quos primum audierat (5), nullam omnino mentionem facit, Stoicum sane Diodotum propter dialecticae — in qua ab eo exercitus erat — utilitatem commemorat (6), Academiae vero principes Philonem et postea Antiochum ita prae se fert, ut eorum utrumque maxime tanquam auctores colendi et deinde renovandi philosophiae studii habuisse videatur (7). Neque enim solum per universam philosophiae commendationem suam ipsius singularem dicendi laudem simpliciter significari volebat; sed, qui « non illustravisse modo, verum etiam *genuisse* » in foro romano « *dicendi copiam* (8) » et sibi videbatur et aliis videri cupiebat, ejusdem erat Academiam potissimum ita, ut eum facientem vidimus, com-

(1) Ut dicitur in *Bruto*, 331.
(2) Stoica videlicet aut epicurea.
(3) De « stoicis oratoribus », *Brut.*, 116 sqq. (Cf. supra, p. 49), — de Epicureo Albucio, 131. — Cotta autem, qui Academiae se dederat, *natura* non satis adjuvabatur: cf. *Brut.*, 202.
(4) Cf. *Brut.*, 233, 318.
(5) Phaedrum et Zenonem hos fuisse notum est.
(6) *Brut.*, 309.
(7) Cf. *Brut.*, 306, 315.
(8) Cf. *Brut.*, 253-255, ubi referuntur verba Caesaris Ciceronem laudantis tanquam « principem copiae atque inventorem ».

mendare studiosisque dicendi designare (1) tanquam eam, quae « *dicendi copiam peperisset* » (2).

(1) Cf. *Orat.*, 141, ubi profitetur « se studiosis dicendi praecepta et quasi vias quae ad eloquentiam ferrent traditurum ».
(2) Sicut de ea dicitur in *Paradox. Proœm.*, 2.

CAPUT II

Quid potissimum per Ciceronis orationes rationi ab ipso expositae respondere videatur.

I

Quas intimas sui ipsius commendandi rationes M. Tullius suis de philosophia ad eloquentiam adjungenda disputationibus inseruerit, haud profecto idcirco explicavimus, ut ejus in ea re sententiae auctoritas minueretur. Nam, qui ab adulescente omnem fere philosophiarum varietatem, quae quidem ea aetate vigebant et florebant (1), lustraverat, et idem rhetorum cum latinorum tum graecorum scholas frequentaverat, — quis eum redargueret affirmantem, se Academicorum disciplinae plus quam vel ceteris philosophorum familiis vel « rhetorum officinis (2) » ad assequendam eam, qua gloriabatur, dicendi copiam debuisse ? Quia videlicet cum eo dicendi genere, quod sibi animo proponeret quoque natura ipsa duce se ferri sibi conscius esset, hanc Academiae disciplinam maxime congruere senserat, vel antequam id certis rationibus intellegeret, — idcirco et in prima adulescentia (3) Philoni Romam migranti « totum », ut ipse dixit (4), « se tradiderat », et post nonnullas jam dictas causas (5) « studium philosophiae nunquam intermissum » Antiocho

(1) Nam Antiochus, Academiae princeps, quem Cicero audierat, Peripateticos simul atque Academicos se sequi aiebat (Cf. supra, p. 39, n. 4), — et Cicero ipse postea Peripateticos quosdam cognovit.
(2) Sicut dicitur in *Orat.*, 12.
(3) Anno 666, — ipse duodeviginti annos natus.
(4) Cf. *Brut.*, 306. De illo Philone, cf. supra, p. 24 et 44.
(5) Ut apparet ex *Bruto*, 312.

doctore Athenis « renovaverat » (1). Sed quidem, quod ipse haud obscure professus est, se, cum propter aliarum causarum opportunitates, tum vel maxime propter hanc philosophiae accessionem eum esse potuisse, cujus ingenio romana eloquentia ad summum quasi fastigium perveniret, id ipsum nos admonet, ut nunc persequamur, quid potissimum per ipsas ejus orationes rationi ab ipso ita expositae respondere videatur.

Et primum vix necesse est commemorare, in eis, quae inquisituri sumus, eam philosophiae partem maxime spectari, quam a duabus aliis in primo *de Oratore* libro ita separatam vidimus, tanquam vel praecipue vel unice oratori « perdiscendam » (2). Nam dialecticae cognoscendae utilitas, quam a Cicerone postea adjunctam esse diximus (3) (neque vero non studiosissime in hac disserendi arte exercitus ipse ad causas dicendas accesserat) (4), ea profecto erat, quae a disputandi angustiis ad « dilatatam (5) » orationem ita dumtaxat transferretur, ut per orationis membra quasi suffusa involveretur; atque similiter fere de physicorum cognitione judicandum est, si quidem noster auctor recte admonebat, ab ea oratorem id maxime sumpturum esse, ut « excelsius magnificentiusque et diceret et sentiret (6) ». Ad tertiam vero philosophiae partem, quae ad universam bene vivendi rationem spectabat, maxime pertinere eos *locos* perspicuum est, quorum tractationem a philosophis oratori repetendam esse M. Tullius intelligeret : qui quam saepe in dicendo inciderent, ipse eos enumerando indicavit (7) ; quam autem late haec philosophiae pars pateret, quantamque rerum varietatem in se complecteretur, ipsum etiam Ciceronem testem adhibere possumus, qui et in eis libris, quos *de Officiis* scripsit,

(1) Anno 677 (Cf. *Brut.*, 315) Athenis quidem tunc et honoris et amicitiae causa Phaedrum Epicureum, quem ante Romae audierat, rursus adiit.
(2) *De Or.*, I, 69. — Cf. supra, nostram part. I, p. 19-20.
(3) Cf. supra nostram part. I, p. 21.
(4) Cf. *Brutum*, 309. (Cf. supra, p. 62, n. 6.)
(5) Ut dicitur in *Bruto*, 309 ; Cf. *De Finib.*, II, 17.
(6) *Orator*, 119 (Cf. supra nostram part. I, p. 21.
(7) *De Orat.*, I, 56, 67, 85 ; II, 67 ; *Or.* 16, 118 (Cf. supra, p. 17)

CAPUT II

Quid potissimum per Ciceronis orationes rationi ab ipso expositae respondere videatur.

I

Quas intimas sui ipsius commendandi rationes M. Tullius suis de philosophia ad eloquentiam adjungenda disputationibus inseruerit, haud profecto idcirco explicavimus, ut ejus in ea re sententiae auctoritas minueretur. Nam, qui ab adulescente omnem fere philosophiarum varietatem, quae quidem ea aetate vigebant et florebant (1), lustraverat, et idem rhetorum cum latinorum tum graecorum scholas frequentaverat, — quis eum redargueret affirmantem, se Academicorum disciplinae plus quam vel ceteris philosophorum familiis vel « rhetorum officinis (2) » ad assequendam eam, qua gloriabatur, dicendi copiam debuisse ? Quia videlicet cum eo dicendi genere, quod sibi animo proponeret quoque natura ipsa duce se ferri sibi conscius esset, hanc Academiae disciplinam maxime congruere senserat, vel antequam id certis rationibus intellegeret, — idcirco et in prima adulescentia (3) Philoni Romam migranti « totum », ut ipse dixit (4), « se tradiderat », et post nonnullas jam dictas causas (5) « studium philosophiae nunquam intermissum » Antiocho

(1) Nam Antiochus, Academiae princeps, quem Cicero audierat, Peripateticos simul atque Academicos se sequi aiebat (Cf. supra, p. 39, n. 4), — et Cicero ipse postea Peripateticos quosdam cognovit.

(2) Sicut dicitur in *Orat.*, 12.

(3) Anno 666, — ipse duodeviginti annos natus.

(4) Cf. *Brut.*, 306. De illo Philone, cf. supra, p. 24 et 44.

(5) Ut apparet ex *Bruto*, 312.

doctore Athenis « renovaverat » (1). Sed quidem, quod ipse haud obscure professus est, se, cum propter aliarum causarum opportunitates, tum vel maxime propter hanc philosophiae accessionem eum esse potuisse, cujus ingenio romana eloquentia ad summum quasi fastigium perveniret, id ipsum nos admonet, ut nunc persequamur, quid potissimum per ipsas ejus orationes rationi ab ipso ita expositae respondere videatur.

Et primum vix necesse est commemorare, in eis, quae inquisituri sumus, eam philosophiae partem maxime spectari, quam a duabus aliis in primo *de Oratore* libro ita separatam vidimus, tanquam vel praecipue vel unice oratori « perdiscendam » (2). Nam dialecticae cognoscendae utilitas, quam a Cicerone postea adjunctam esse diximus (3) (neque vero non studiosissime in hac disserendi arte exercitus ipse ad causas dicendas accesserat) (4), ea profecto erat, quae a disputandi angustiis ad « dilatatam (5) » orationem ita dumtaxat transferretur, ut per orationis membra quasi suffusa involveretur; atque similiter fere de physicorum cognitione judicandum est, si quidem noster auctor recte admonebat, ab ea oratorem id maxime sumpturum esse, ut « excelsius magnificentiusque et diceret et sentiret (6) ». Ad tertiam vero philosophiae partem, quae ad universam bene vivendi rationem spectabat, maxime pertinere eos *locos* perspicuum est, quorum tractationem a philosophis oratori repetendam esse M. Tullius intelligeret : qui quam saepe in dicendo inciderent, ipse eos enumerando indicavit (7) ; quam autem late haec philosophiae pars pateret, quantamque rerum varietatem in se complecteretur, ipsum etiam Ciceronem testem adhibere possumus, qui et in eis libris, quos *de Officiis* scripsit,

(1) Anno 677 (Cf. *Brut.*, 315) Athenis quidem tunc et honoris et amicitiae causa Phaedrum Epicureum, quem ante Romae audierat, rursus adiit.
(2) *De Or.*, I, 69. — Cf. supra, nostram part. I, p. 19-20.
(3) Cf. supra nostram part. I, p. 21.
(4) Cf. *Brutum*, 309. (Cf. supra, p. 62, n. 6.)
(5) Ut dicitur in *Bruto*, 309 ; Cf. *De Finib.*, II, 17.
(6) *Orator*, 119 (Cf. supra nostram part. I, p. 21.
(7) *De Orat.*, I, 56, 67, 85 ; II, 67 ; *Or.* 16, 118 (Cf. supra, p. 17)

inveniatur disserens de civitate, de sociorum jure, de oratoris dignitate, de accusandi aut defendendi officio, de artificiis et quaestibus, et in illis antea editis *de Republica* libris « magnum locum philosophiaeque proprium (1) » tractare sibi visus sit, — sicut in hoc « civili loco graviter et copiose tractando » Peripateticorum Academicorumque excellentiam non semel laudavit (2).

Nec vero, quia Tullianas, de quibus diximus, disputationes huc maxime tendere agnovimus, ut praecipua commendandae philosophiae ratio ad illam Academicorum Peripateticorumve *exercitationem* tanquam ad certissimam *dicendi copiae* effectricem converteretur (3), ideo putandum est, hunc quoque — et summum quidem — philosophiae studii fructum eum esse debuisse, qui, per totum fere orationis contextum quasi diffusus, omnem investigantis comprehensionem aut fugeret aut falleret. Neque enim de cujuscumque generis exercitatione nunc agitur, cujus utilitas in comparanda verborum copia et celeritate tota versaretur ; neque rursus de quocumque amplificandi modo quaerimus, quanquam haec « αὔξησις (4) » a Cicerone ipso ita descripta est, ut, « etsi aequabiliter toto corpore orationis fusa esse deberet, tamen in *communibus locis* (5) maxime excelleret » : illam vero Carneadiam aut Aristoteliam in contrarias partes exercitationem a Cicerone laudari maxime vidimus, tanquam in eis ipsis *locis* versantem, quorum ornatu maxime oratorem id consecuturum esse Cicero idem significavit, ut « verborum copiam rerum copia gigneret (6) ». — Quod autem eam dicendi copiam,

(1) Sicut de his libris ipse loquitur, *De Divinat.* II, 3.

(2) Cf. *De Finib.* IV, 5, 61 ; V, 7, 11 (Cf. supra, nostr. part. I, p. 52). — De illa ἠθικῆς cum πολιτικῇ artissima conjunctione apud Platonem et Aristotelem, cf. Janet, *Histoire de la science morale.* — Haec scilicet erat illa περὶ τὲ ἤθη πολιτικήν, ex qua per adjunctionem dialecticae artis τὴν ῥητορικὴν constare Aristoteles intelligebat. Cf. *Rhet.* 1, 4, 1.

(3) Cf. nostr. part. I, cap. III, § 3 (p. 45 sqq.).

(4) *Orator*, 125-126, ubi explicatur distinctio inter « αὔξησιν » et « θέσιν » (de qua V. supra, P. I, p. 43). Eadem non longe secus significantur in libro III *De Or.*, 104-106.

(5) Iis scilicet, qui « videntur multarum iidem esse causarum », quanquam « proprii singularum esse debebunt » (*Or.* 126). Cf. *De Or.* III, 106.

(6) Cf. *De Or.* III, 125 (V. supra nostr. part. I, cap. IV, p. 55).

quae « rerum abundantia (1) » efficeretur, ab « inani verborum volubilitate(2) » secerni ab eo vidimus, id in vanam quamdam distinctionem non recidere maxime intellegetur, si respexerimus, quo talem formulam noster auctor intendisse videatur. Qui enim ipsa « copiose dicendi » professione dissensit ab iis qui « atticum », ut aiebant, genus in jejunitate quadam et « exilitate (3) » dicendi posuerint, idem in copiose dicendi laude se non modo separari volebat ab iis ridiculis quidem « clamatoribus » (4) quos in turba forensi videbat in vana verborum celeritate delectari, sed etiam ab illis — minime quidem, ut ipse judicavit, contemnendis — principibus « Asiaticae dictionis », cujus « duo genera » ita descripsit : « unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis quam concinnis et venustis,... alterum non tam sententiis frequentatum quam verbis volucre atque incitatum,... nec flumine solum orationis, sed etiam exornato et faceto genere verborum » : quorum duorum generum cum clarissimos in Asia auctores (5) nominabat, tum eorum utroque floruisse maxime Hortensium adulescentem aiebat, praesertim cum ad talem aetatem haec dicendi formula accommodatissima et esset et videretur (6). Et quidem huic generi, in quo « inanibus verbis » vel « levibus sententiis (7) » amplificatio efficeretur, Ciceronem ipsum — praesertim adulescentem — aliquid concessisse ea declarant, quae in Sex. Roscii judicio (quam primam « causam publicam » orabat) (8) de parricidarum supplicio, multis, ut ipse memoravit, audientium clamoribus (9), dixerat : sic enim prop-

(1) Cf. *De Or.*, III, 125. (V. supra, p. 56, n. 3.)
(2) Cf. *De Or.* I, 17 et 20 (Prooem). (Cf. supra Part. I, cap. IV. p. 55.)
(3) Cf. *Brut.*, 284 sqq : « Atticum se Calvus dici oratorem volebat : inde erat ista *exilitas*... etc. » — *Orat.* 20-32 ; *De opt. gen. orat.* 7-16. De qua quaestione vide eruditissimam disputationem quam edidit H. Lantoine « *De Cicerone contra Atticos disputante* » (1874).
(4) De hoc verbo V. *De Or.* I, 202 ; III, 81 ; *Brut.*, 182 ; Cf. *Or.* 53.
(5) Vel suae aetatis (ut Milesium Aeschinem) vel paulo superioris (ut Hieroclem et Meneclem in primo genere, Aeschylum Cnidium in secundo).
(6) Cf. *Brut.*, 325-327.
(7) Sicut dicitur in *Orat.*, 170.
(8) Cf. *Brut.* 312 ; et *Pro Sex. Roscio*, 59.
(9) Cf. *Orat.*, 107.

ter singulare supplicium in impios excogitatum laudabat « majorum sapientiam », qui voluissent parricidas « insui in culleum vivos atque ita in flumen dejici » :

O singularem sapientiam, judices! Nonne videntur hunc hominem ex rerum natura sustulisse et eripuisse, cui repente caelum, solem, aquam terramque ademerint, ut qui eum necasset, unde ipse natus esset, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur? Noluerunt feris corpus objicere, ne bestiis quoque, quae tantum scelus attigissent, immanioribus uteremur; non sic nudos in flumen dejicere, ne, cum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cetera quae violata sunt expiari putantur; denique nihil tam vile neque tam vulgare est, cujus partem ullam reliquerint. Etenim quid tam est commune quàm spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de caelo non queant, ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat, ita jactantur fluctibus, ut nunquam abluantur, ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant (1).

Hunc locum, etsi notissimum, in nostram scriptionem integrum transtulimus, ut certo exemplo allato ab illis *locis*, de quibus quaerimus, ejusmodi amplificatio primum seponeretur, quae per inanitatem verborum, quamvis specie splendidam, re certe et sententiis paene puerilem, excurreret. Haec enim et talia cum « nequaquam satis defervisse post aliquanto sentire coepisset (2) », tum noster orator ab illa juvenili redundantia et licentia (3) ad gravius genus (4) eloquentiam suam traduxisse sibi videbatur, — ita videlicet, ut dicendi copiam per severiores sententias potius persequeretur. Neque hoc loco refert, eum ad hanc suae orationis commutationem (quae quidem forsitan non tanta fuerit, quantam eam fuisse significare voluit) (5), Molonis Rhodii, « actoris summi causa-

(1) *Pro Sex. Roscio*, 71-72.

(2) *Or.*, 107.

(3) Cf. *Brut.*, 316. Quid commune sit inter hunc locum et eum, quem ex *Oratore* (107) excerptum conferimus, — satis indicant verba : «... et quasi *deferverat* oratio... »

(4) Illud « gravius quiddam », quod Hortensius non assequi potuisse dicitur paulo infra (*Brut.*, 327), — neque enim is a philosophia satis instructus fuerat.

(5) In *Bruto*, 313-316: « ita recepi me biennio post, non modo exercitatior, sed *prope mutatus.* »

rum et magistri (1) » , praeceptis et disciplina — sicut ipse narravit (2) — maxime usum esse : ad philosophorum certe scholas, in quibus versari et antejam coeperat et tum vel maxime pergebat, idem non temere indicavit earum graviorum sententiarum tractationem pertinere, quibus in illa ipsa Sex. Roscii causa jam satis instructum sese cum ostenderet, tum ab earum contextu ad quamdam inanium verborum lasciviam orationem suam deflectere sinebat.

II

Jam vero, ut ad circumscribendam propriam disputationis nostrae quasi regionem ipsam M. Tullii auctoritatem adhibuimus, ita eodem ipso duce recte usuri nobis videmur ad describendum, quibus potissimum modis inciderit, ut res et sententiae ad eam philosophiae partem, quam diximus, pertinentes in causis intexi possent : hujus nimirum generis occasiones eo frequentius noster orator arripere debuit, quod earum varietatem ad certas rationes quasi redactam animo comprehendebat. Et quidem ex iis rhetoricis libris, quos admodum adulescens « ex commentariolis suis (3) » expresserat, satis apparet, eum ab ipsis rhetorum scholis, quos adierat, accepisse ea (quamvis in singulis rebus paulo aliter ab aliis immutata) quae de distinctione trium generum, demonstrativi, deliberativi, judicialis, et de uniuscujusque « fine », — honesto, utili, aequo, — (quo proprii uniuscujusque *loci* referrentur), Aristoteles primus docuerat (4). Itaque, dum in secundo horum *de Inventione* librorum Aristoteliam de his rebus doctrinam ita dumtaxat correctam repetit, ut in

(1) et (2) Cf. *Brut.*, 307 et 316.
(3) Sicut dicitur in prooemio libri I *De Or.*, 5.
(4) Eadem fere exponebat circa idem tempus incertus auctor *Rhetoricorum* quae dicuntur « ad Herennium » (Cf. lib. III, cap. 2-8 ; — lib. I, cap. 2).

ter singulare supplicium in impios excogitatum laudabat « majorum sapientiam », qui voluissent parricidas « insui in culleum vivos atque ita in flumen dejici » :

O singularem sapientiam, judices! Nonne videntur hunc hominem ex rerum natura sustulisse et eripuisse, cui repente caelum, solem, aquam terramque ademerint, ut qui eum necasset, unde ipse natus esset, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur? Noluerunt feris corpus objicere, ne bestiis quoque, quae tantum scelus attigissent, immanioribus uteremur; non sic nudos in flumen dejicere, ne, cum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cetera quae violata sunt expiari putantur; denique nihil tam vile neque tam vulgare est, cujus partem ullam reliquerint. Etenim quid tam est commune quàm spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de caelo non queant, ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat, ita jactantur fluctibus, ut nunquam abluantur, ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant (1).

Hunc locum, etsi notissimum, in nostram scriptionem integrum transtulimus, ut certo exemplo allato ab illis *locis*, de quibus quaerimus, ejusmodi amplificatio primum seponeretur, quae per inanitatem verborum, quamvis specie splendidam, re certe et sententiis paene puerilem, excurreret. Haec enim et talia cum « nequaquam satis defervisse post aliquanto sentire coepisset (2) », tum noster orator ab illa juvenili redundantia et licentia (3) ad gravius genus (4) eloquentiam suam traduxisse sibi videbatur, — ita videlicet, ut dicendi copiam per severiores sententias potius persequeretur. Neque hoc loco refert, eum ad hanc suae orationis commutationem (quae quidem forsitan non tanta fuerit, quantam eam fuisse significare voluit) (5), Molonis Rhodii, « actoris summi causa-

(1) *Pro Sex. Roscio*, 71-72.

(2) *Or.*, 107.

(3) Cf. *Brut.*, 316. Quid commune sit inter hunc locum et eum, quem ex *Oratore* (107) excerptum conferimus, — satis indicant verba : «... et quasi *deferverat* oratio... »

(4) Illud « gravius quiddam », quod Hortensius non assequi potuisse dicitur paulo infra (*Brut.*, 327), — neque enim is a philosophia satis instructus fuerat.

(5) In *Bruto*, 313-316: « ita recepi me biennio post, non modo exercitatior, sed *prope mutatus.* »

rum et magistri (1) » , praeceptis et disciplina — sicut ipse narravit (2) — maxime usum esse : ad philosophorum certe scholas, in quibus versari et antejam coeperat et tum vel maxime pergebat, idem non temere indicavit earum graviorum sententiarum tractationem pertinere, quibus in illa ipsa Sex. Roscii causa jam satis instructum sese cum ostenderet, tum ab earum contextu ad quamdam inanium verborum lasciviam orationem suam deflectere sinebat.

II

Jam vero, ut ad circumscribendam propriam disputationis nostrae quasi regionem ipsam M. Tullii auctoritatem adhibuimus, ita eodem ipso duce recte usuri nobis videmur ad describendum, quibus potissimum modis inciderit, ut res et sententiae ad eam philosophiae partem, quam diximus, pertinentes in causis intexi possent : hujus nimirum generis occasiones eo frequentius noster orator arripere debuit, quod earum varietatem ad certas rationes quasi redactam animo comprehendebat. Et quidem ex iis rhetoricis libris, quos admodum adulescens « ex commentariolis suis (3) » expresserat, satis apparet, eum ab ipsis rhetorum scholis, quos adierat, accepisse ea (quamvis in singulis rebus paulo aliter ab aliis immutata) quae de distinctione trium generum, demonstrativi, deliberativi, judicialis, et de uniuscujusque « fine », — honesto, utili, aequo, — (quo proprii uniuscujusque *loci* referrentur), Aristoteles primus docuerat (4). Itaque, dum in secundo horum *de Inventione* librorum Aristoteliam de his rebus doctrinam ita dumtaxat correctam repetit, ut in

(1) et (2) Cf. *Brut.*, 307 et 316.
(3) Sicut dicitur in prooemio libri I *De Or.*, 5.
(4) Eadem fere exponebat circa idem tempus incertus auctor *Rhetoricorum* quae dicuntur « ad Herennium » (Cf. lib. III, cap. 2-8 ; — lib. I, cap. 2).

eliberativi generis fine utilitati honestatem adjungat (1), — tum de honesto, quod tribus generibus commune esse sic statuit (nam aequitatem partem quamdam esse honestatis animadvertit (2)), et de utilitatis ad honestum adjunctione (3) eum invenimus disserentem eadem partitione adhibita, qua postea per suos *de Officiis* libros (4) in eadem quaestione propter se tractanda utentem eum videmus. Atque in suis *de Oratore* libris, ubi similem notandi triplicis trium generum finis rationem observavit (5), similiter « laudationum » materiam explicando in quamdam etiam virtutum descriptionem (6) inductus est, unde intelligeretur, « si laudationes essent in oratoris officio, — quod nemo neget (7), — oratori virtutum omnium cognitionem, sine qua laudatio effici non posset, esse necessariam (8) » ; atque de vitiorum cognitione ad explendum vituperandi officium item judicabat (9). Cumque in propriis illius generis, quod « epidicticum » dictum erat (10), locis ita comprehendendis Aristotelem ipsum (11) fere sequebatur (a quo eodem illud etiam repetebat, quod non semel significavit, « nihil esse ad exaggerandam et amplificandam orationem accommodatius, quam illam laudandi aut vituperandi exercitationem ») (12), tum animadvertebat, non demonstrativo solum genere contineri eam utilitatem, quae ex virtutum vitiorumque cognitione ad amplificandi commoditatem duceretur, sed « his laudandi et vituperandi locis oratori saepe utendum esse in omni genere

(1) Cf. *De Invent.* II, 155-156 (de judiciali genere antea, 14-154, disserebatur).
(2) Ibid., 154.
(3) Ibid., 166-169.
(4) Praesertim libros I et II.
(5) *De Orat.* II, 333-335, — ubi Antonius etiam deliberativo generi « honestatem » simul atque « utilitatem » attribuit, — quanquam in libro I, 141, Crassus deliberativi finem ad solam utilitatem referre videtur.
(6) *De Or* II, 342-348. Cf. *Partit. orat.*, 69-82.
(7) Quanquam ipse Antonius hoc genus primum seposuit ab aliis (*De Or.* II, 43), propter rationem quae explicatur, 47.
(8) et (9) *De Or.* II ; *Or* , 348-349.
(10) De hoc genere cf. *Orat.* 42. (V. supra, p. 34, n. 4.)
(11) V. ejus *Rhetorica*, lib. 1, cap. 9.
(12) *De Or.* III, 105 ; *Or.* 37-42 *Partit. Or.*, 69. Cf. Aristot. *Rhet* lib. 1, cap. 9, § 6.

causarum (1) ». Hos videlicet « locos » ad commendandam « Cn. Pompei singularem eximiamque virtutem (2) » adhibuerat in ea oratione, quam primam apud populum habebat (3) ut suasor legis quam C. Manilius tribunus plebis de illius « imperio » adaugendo ferebat ; his « locis » instructus in illa oratione, qua pro reddito reipublicae M. Marcello C. Caesari gratias egit in senatu, explicavit Caesaris clementiam in M. Marcello conservando declaratam ejusdem bellicis laudibus vel maximis eo anteferendam esse, quod hujus gloriae in sola animi magnitudine positae neque socium quemquam alium Caesar haberet neque ullam partem, sicut « in armis », Fortunae debuisset (4).

Quibus autem locis in judicialibus etiam causis orator in cognitione cum virtutum vitiorumque tum variarum animi permotionum (5) versaretur, id Cicero per illa ipsa minutissima praecepta traditum acceperat, quibus Hermagoras praesertim aliique deinde rhetores singulas « causarum constitutiones » generatim descriptas partitasque instruxerant, quorumque accuratissima notatione simplicem Aristoteliae rhetoricae gravitatem pro suo quisque acumine ornare sibi visi erant. Horum igitur doctrinam sequens (6) in secundo *de Inventione* libro et de « conjecturali constitutione » primum separatim considerata sic statuens (7), « omnem conjecturam ex causa, ex persona, ex facto ipso capiendam esse », tum, causa « in impulsionem et in ratiocinationem tributa (8) », exponebat quomodo et accusatori et defensori « *ipsa ejus animi*

(1) *De Or.* II, 349.

(2) V. ipsam orationem (3) : de rei amplificatione, 29-42, — atque etiam 43-46 (« de auctoritate viri ») et 47-50 (de ejus « felicitate »).

(3) Sicut indicatur initio ipsius orationis ; Cicero tunc praetor erat (anno 688). De ea oratione, cf. *Orat.*, 102.

(4) V. ipsam orationem, cap. 2-6.

(5) De animi permotionum cognitione hic quaerimus, quatenus ea ad argumentandi *locos* pertinet, non ad eam auditorum affectuum tractationem (de qua ante locuti sumus quamque Plato ψυχαγωγίαν appellabat).

(6) De variis eorum doctrinis (ex quibus « excellentissima quaeque libandi » Cicero hujus *rhetoricae* scriptor sibi legem fecisse se dicit (*De Inv.* II, 4-5), non hic quaerendi locus est ; Hermagorae ipsius opiniones nunc sequentem, nunc rejicientem eum videmus (I, 8, 12, 16, 97). — De Hermagora, cf. *Brut.* 263, 271.

(7) et (8) *De Invent.* II, 16, 17.

affectionis vis et natura » explicanda esset, *qua impulsus* aliquid reus commisisse diceretur (1) ; in conjectura autem, quae ex *persona* caperetur, ostendebat, qua ratione et accusator ad « hominis improbationem » et defensor ex contrario de vitiis deque eorum inter se affinitate disserere deberent (2) :

... Si avaritia inductum arguas fecisse, et avarum eum, quem accuses, demonstrare non possis, aliis affinem vitiis esse doceas (3)... Defensor autem debebit, si poterit, vitam ejus, qui insimulabitur, quam honestissimam demonstrare... Hoc autem ipsum genus erit eo firmius, si eo ipso in genere, quo arguetur, integer ante fuisse demonstrabitur : ut si, cum avaritiae causa fecisse arguatur, minime omni in vita pecuniae cupidus fuisse doceatur (4)...

Hoc ipso argumentandi modo utens (5) M. Tullius in defendendo Sex. Roscio parricidii reo ad illam notissimam de tanti maleficii crimine amplificationem se conferebat, quae nonnisi extrema parte a quadam sententiarum moralium (6) gravitate ad eum verborum quasi ludum traducta est, quem a disputatione nostra jam semovimus (7) ; similiter in M. Caelii causa, cum L. Herennium accusatorem « multa de luxurie, multa de libidine, multa de vitiis juventutis », — judicibus « attente audientibus », — dixisse memorabat (8), tum ipse de eisdem rebus in alteram partem ad extenuandam adversarii argumentationem

(1) Cf. *De Invent.* II, 25 (de defensore), et 19 : « Ergo accusator, cum *impulsione* aliquid factum esse dicet, illum impetum et quamdam commotionem animi affectionemque verbis et sententiis amplificare debebit, et ostendere, quanta vis sit amoris, quanta animi perturbatio ex iracundia fiat... etc. » — V. eadem brevius et paulo aliter exposita in *Partit. orat.*, 112, 119.

(2) *De Invent.* II, 32-37.

(3) et (4) Ibid., 33 et 36.

(5) V. *Pro Sex. Roscio*, praesertim 62, 68 ; 72.

(6) Velut de summa poena scelerum in eorum conscientia posita, 64-68 ; de sapientia majorum, 70.

(7) Cf. supra, p 68.

(8) *Pro Caelio*, 25-27. — In ipsis *de Oratore* libris (a quibus tamen minutiorum praeceptorum, quae in libris *de Inventione* exposuerat, diligentiam amovit), Antonium de talibus iocis inserendis ita disserentem fecit II, 135 : « In eis ipsis causis, ubi de facto ambigitur, — ceperitne pecunias contra leges Decius, — argumenta et criminum et defensionis revocentur oportet ad genus et naturam universam : quod sumptuosus, de luxurie ; quod alieni appetens, de avaritia..., etc. »

copiose disserebat (1), in sua demonstratione eo progrediens, ut facete doceret, eas cupiditates, quae objicerentur Caelio, atque ea studia oratoria, in quibus idem se satis profecisse ostendisset, « non facile in eodem homine esse posse (2) ». Neque vero, quia tales *loci* in ipsis multarum causarum nervis inhaerentes oratori obversabantur, idcirco multorum oratorum erat eos, — sicut Cicero facere sibi videbatur, — earum sententiarum, quae ad philosophiam moralem pertinerent, adjunctione exornare.

De « conjecturali genere » separatim hactenus diximus : nunc, si ad reliquas « constitutiones » transierimus [neque, praeter summam earum a superiore distinctionem, ad rem nostram interest, in eis partiendis et rhetores inter se satis dissensisse (3) et Ciceronem non semper secum omnino consentire (4)], jam ab eis *locis*, quos aut Aristoteles aut Hermagoras tradiderant, veniemus ad eam ipsam amplificandi rationem, quam Cicero sua propria auctoritate et exemplo maxime commendavit : nam in ejusmodi constitutiones, quae aut in *definitiòne* aut in *aequitate* versarentur (5), ipse significavit (6) id maxime cadere, quod in « excellenti oratore » requireret, ut a propriis personis et temporibus ad communem universi generis quaestionem controversia traduceretur (7) : quam « dilatandae » orationis formulam qui sequeretur, satis intelligi potest eum in philosophorum quasi « possessiones » saepius deduci debuisse : velut in Milonis causa, ubi non de *facto*, sed de *jure* ambigebatur, de sui defendendi

(1) *Pro Caelio*, 27 sqq

(2) Ibid. 45-46.

(3) Ut satis apparet, si de ea partitione *Rhetoricam* « *ad Herennium* » dictam cum libris *De Inventione* conferimus. — De cetero V. Quintiliani *Instit. orat.* lib. III, cap. 6 : « *Quot et qui status.* »

(4) Nam in libro II *de Oratore* (110-113) hoc genus, quod in scripti interpretatione versatur, ad genus, in quo quaeritur « quale sit », adjungit ; idem autem genus in libris *de Inventione*, in *Partit orat.* (107-108, 132 sqq.), in *Topicis* (95-96), ab aliis seponit (Cf. etiam *De Orat.*, I, 140).

(5) *Definitiva* et *generalis* appellabantur : has tres constitutiones *conjecturalem, definitivam, generalem*, Cicero constanter distinguit. Cf. etiam *Or.*, 45.

(6) *Or.*, 126 («... nisi cum de vero ambigitur, quod quæri *conjectura* solet »).

(7) *Or.* 45, 146 ; *Brut.* 322 ; *Partit. or.*, 106 ; *De Or.* II, 132 sqq.

jure a natura ipsa praescripto generaliter — et splendide quidem — Cicero disseruit (1). Nam de causis ejus generis ipse recte animadvertebat, « quae, cum de facto non ambigatur, quaerantur qualia sint (2), ea si ex reis numeres, et innumerabilia esse et obscura, si ex rebus, valde et modica et illustria (3) ». — Neque vero talis dilatandae disceptationis formula, quia eam illa « constitutio conjecturalis » ipsa propter se in summa non recipiebat, idcirco ab ejus generis causis (4) excludebatur : in has etiam introduci poterat, non modo per eos locos *conjecturae* proprios de quibus jam diximus quosque ad eumdem amplificandi modum pertinere Cicero ipse indicavit (5), sed etiam si qua forte variarum rerum, quaecumque per quascumque causae partes occurrerent, digna videretur, in qua oratio haereret et paulum commoraretur. Et talem quidem rei augendae rationem omne genus causarum admittebat, praesertim cum ea plures amplitudinis gradus haberet, sive paucarum tantummodo sententiarum inserendarum, sive latius excurrendi occasionem orator arriperet. Sic, noster orator, — cum Murenam ambitus accusatum defendens ipsa tripertitae divisionis (6) explicatione adduceretur, ut Sulpicio juris civilis studium prae se ferenti militarem Murenae laudem opponeret, — « dignitatis contentione (7) » a propriis personis ad ipsas artes generaliter consideratas traducenda atque eloquentia etiam in hanc artium comparationem introducenda late fuseque vagatus est (8), proinde quasi

(1) *P. Milone*, 7-11 ; Cf. *De Legib.* I, quae de jure natura constituto dicuntur.

(2) Per hoc « quale sit » Cicero constitutionem *generalem* (id est de aequitate) definire solet. Cf. supra p. 73, n. 5 ; et *De Or.* II, 106.

(3) *De Or.* II, 137. — Ejusdem generis atque Milonis causa fuerat causa C. Rabirii.

(4) Praesertim cum fieri posset ut una causa ad *plures* constitutiones simul pertineret. Cf. *De Invent.* I, 14 ; II, 12 ; *Partit. or.*, 101 (« si plures non queas... »).

(5) *De Or.* II, 134-135 : « nulla denique est causa..., etc. *Quin etiam* in eis ipsis causis ubi de facto ambigitur..., etc. (Cf. p. 72, n. 8). — Idem notatur a Quintiliano, *Instit. orat.*, X, 5, 10.

(6) Cf. *P. Murena*, 11 : ubi tres accusationis partes ita distinguit : reprehensionem vitae, contentionem dignitatis, crimina ambitus.

(7) Ea secunda pars explicatur 15 sqq.

(8) *P. Mur.*, 22-31 (de eloquentia, 29).

in universi generis disputatione versarètur, cujusmodi formulam ipsum in *Topicis* inter alia « infinitarum quaestionum (1) » exempla sic proferentem invenimus : « ... *eloquentiane pluris sit an juris civilis scientia* (2) ». Sic enim intelligebat, omnes causas certis personis ac temporibus definitas ad hoc genus « infinitarum quaestionum » et latenter pertinere et oratione revolvi posse (3), — cujus generis « quaestiones » quia rhetores inepte dimisissent, idcirco ab Academicis Peripateticisque earum tractandarum exercitationem oratori repetendam esse (4) existimabat.

Atque ille « locus », quem in oratione *Pro Murena* habita notavimus, longior est, quam ut huc afferatur ; sed in aliis causis exempla non desunt ad demonstrandum, quam libenter noster orator ad hoc « infinitum » disputandi genus orationem transferat : velut in ea oratione, quam « post reditum ad Quirites » habuit, dum affirmat, « sibi majori curae esse, quemadmodum eis, qui de se sint optime meriti, gratiam referat, quam quemadmodum inimicorum injurias crudelitatemque persequatur », hanc sententiam ad tempus accommodàtam eleganter producit ad ejusmodi disputationem, quae paucissimis verbis mutatis ex eis libris, quos *de Officiis* conscripsit, excerpta esse recte videretur :

... Etenim ulciscendae injuriae facilior ratio est quam beneficii remunerandi, propterea quod superiorem esse contra improbos minus est negotii quam bonis exaequari. Tum etiam ne tam necessarium quidem est male meritis quam optime meritis referre, quod debeas. Odium vel precibus mitigari potest vel temporibus rei publicae communique utilitate deponi vel difficultate ulciscendi leniri vel vetustate sedari; bene meritos ne colas, nec exorari fas est, neque id rei publicae remittere verum neque necesse est; neque est excusatio difficultatis, neque aequum est tempore et die memoriam beneficii definire. Postremo, qui in ulciscendo remissior fuit,

(1) Quarum genera describuntur, *Topic.*, 79-86. — Cf. *De Orat.* III, 111-118.

(2) *Topic.*, 85. (Hoc exemplum ad ea quæstionum genera, quæ « conparationes » dicuntur, refertur.

(3) Cf. *De Orat.* II, 133-138 ; III, 110-120.

(4) Sicut explicavimus in Parte I, cap. III-IV.

in eo morum asperitas certe non reprehenditur; at gravissime vituperatur, qui in tantis beneficiis, quanta vos in me contulistis (1), remunerandis est tardior, neque solum ingratus, quod ipsum grave est, verum etiam impius appelletur necesse est. Atque in officio persolvendo dissimilis est ratio pecuniae redditae, propterea quod pecuniam, qui retinet, non dissolvit, qui reddidit, non habet; gratiam et qui rettulit, habet, et qui habet, dissolvit (2).

Similiter in causa Cn. Plancii « de sodaliciis » rei hujus erga se merita commemorando adducitur ut de gratiae referendae officio ita disserat :

Etenim, judices, cum omnibus virtutibus me affectum esse cupio, tum nihil est, quod malim, quam me et esse gratum et videri. Haec est enim una virtus non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid est pietas nisi voluntas grata in parentes? qui sunt boni cives, qui belli, qui domi de patria bene merentes, nisi qui patriae beneficia meminerunt? qui sancti, qui religionum colentes, nisi qui meritam dis immortalibus gratiam justis honoribus et memori mente persolvunt? Quae potest esse vitae jucunditas sublatis amicitiis? quæ porro amicitia potest esse inter ingratos? Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ipse mutus ille, ubi alitus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur? Cujus opes tantae esse possunt aut unquam fuerunt, quae sine multorum amicorum officiis stare possint? quae certe sublata memoria et gratia nulla exstare possunt. Equidem nihil tam proprium hominis existimo quam non modo beneficio, sed etiam benivolentiae significatione alligari, nihil porro tam inhumanum, tam immane, tam ferum quam committere, ut beneficio non dicam indignus, sed victus esse videare (3).

Haec videlicet erat « copia *rerum* (4) », qua orationem ornari et amplificari debere aiebat.

Neque vero, quia hac amplificandi commoditate oratorem ita usurum esse censuit, ut « declinare a proposito et deflectere sententiam (5) » ei liceret, ideo putandum est,

(1) Ad ea verba dumtaxat spectant ea, quae sic dicimus : « paucissimis verbis mutatis ».

(2) *Post reditum ad Quirites*, 22-23 — Extrema sententia,— quae nonnullis eruditis visa est a librariis hoc loco addita esse, — invenitur eadem eisdem verbis enuntiata in orat. *P. Plancio*, 68, — et in lib. II *De Offic.*, 69.

(3) *Pro Plancio*, 80-81.

(4) *De Or.* III, 125. Cf. supra nostr. part. I, cap. IV.

(5) Cf. *Orat.*, 137.

eum in exercenda hac vagandi libertate non solitum esse respicere, quid causa aut postularet aut certe permitteret. Nam, si seposueris nonnullas orationes, quae, quamquam aut in concione aut in senatu habitae, ad « pompam » illius « epidictici » generis propriam (1) intima quadam ratione accedebant, — quales sane illae erant, quibus aut populo post reditum aut C. Caesari pro M. Marcello conservato gratias agit, — perraro incidit, ut tale exornandae rei studium ab omni utilitatis ratione separatum videatur : sic ea, quibus in Cn. Plancii defensione gratiae referendae officium exaggerabat, adversario neglectum erga se amicitiae officium objicienti opponebat; atque in L. Murenae causa, dum in extenuanda juris civilis dignitate commoratur, universam hujus artis irrisionem in Sulpicium ipsum recidere volebat, quem tamen, praesertim familiarissimum, aperte petere non decebat, — neque nisi longius insistendo id, quod sibi proponebat, hac obliqua via effici poterat, ut illius viri auctoritas singulari juris civilis studio maxime nixa (2) minueretur. Quod si, vel ea ratione adhibita, noster orator huic digressioni majus spatium concessisse visus erit, quam — non dico necessarium sed utile (3) — erat, meminerimus eum ut Murenae patronum post Hortensium et Crassum ita dicere, ut non partem aliquam ageret causae, sed de tota re diceret, « quod sibi videretur (4) » ; et vero, ut ipsum non latuit, quantum in illa consuetudine ita inducta, ut singulae causae defenderentur a pluribus, vitii inesset (5), sic recte sibi conscius erat, se eum potissimum esse, qui et hoc vitium obtegere et « judicum satietati occurrere (6) » per ornandi artificium posset. Illud scilicet « quod sibi videretur » maxima cum audientium delecta-

(1) Cf. *Or.* 37-42 (ac supra nostr. part. I, p. 34, n. 4).

(2) Cf. ea, quae de hoc praestantissimo Sulpicii studio Cicero ipse dixit in *Bruto*, 152, et in *Philippica* IX, 10 sqq.

(3) Hanc ipsam distinctionem Cicero facit in *Bruto*, 326 (« sententiae... aut necessariae aut interdum utiles »).

(4) et (6) Cf. *Pro Murena*, 48.

(5) Cf. *Brut.*, 208-209 : — idem dici potest de pluribus aliis causis, quas Cicero dixit, — sicut de Sestii causa.

tione excipi cum satis intellexisset, Archiae causam — quam tamen solus, ut videtur, peroravit — in quamdam de colendo litterarum studio (1) et de gloria expetenda (2) disceptationem universi generis dilatavit, non solum ut causam sane jejuniorem eo digniorem suaipsius eloquentia redderet, sed etiam ut quasdam probationum lacunas (3) tam magnificae disputationis gravitate compensaret. Sic ne haec quidem oratio, ubi tali amplificandi ratione adhibenda causam ipsam non tam illustravisse quam obruisse videtur, omnino discrepare existimanda est ab illo, quod ipse de « numerose dicendi vi » disserens scripsit (4), « ut in plerisque rebus, sic in oratione, ea quae maximam utilitatem in se continerent, plurimum eadem habere vel dignitatis vel saepe etiam venustatis ».

III

Cumque ea utilitas plures gradus haberet, quo longius in talibus inserendis disputationibus a certa utilitatis ratione noster orator aberat, eo magis ornandae causae studium in quamdam verorum sensuum exprimendorum occasionem — sicut in illa pro Archia oratione incidisse satis perspicuum est — convertere videbatur. Sed quoniam, quid de his rebus, velut de gloria, de virtutibus, de amicitia, de aequitate, de jure senserit, ex eis libris quos *de Republica*, *de Legibus*, *de Officiis* scripsit, certius utique quam ex ejus orationibus perspici potest, — ad res ipsas ab earum tractandarum modo haec nostra inquisitio ita dumtaxat traducenda est, ut per communes earum rerum summas describamus, quatenus illam *in utramque*

(1) Cf. *Pro Archia*, 12-17.

(2) Ibid. 23-30 : — ea ipsa quaestio « expetendane sit gloria » indicatur etiam inter exempla quaestionum infinitarum, *De Or.* III, 116, et *Topic.*, 84.

(3) Cf. *Pro Archia*, 8-10, quae de publicis Heracliensium tabulis dicuntur.

(4) *De Orat.*, III, 178.

partem disserendi *exercitationem* in Peripateticis Academicisque laudatam ad veras causas pro mutabili earum ratione M. Tullius adhibuisse videatur.

Et quidem, etiamsi rerum ejus generis, de quibus nunc loquimur, tractationem nonnisi ad ornandos pro singularum causarum opportunitate eos locos vel ἐντέχνους vel ἀτέχνους (1), per quos rhetorum praecepta varia argumentandi genera designabant, adhibuisse existimandus esset, tamen ipsa eas aliter alias tractandi utilitas communi omnium causarum ratione quasi circumscribebatur ; neque enim, qui apertissime professus est, se « patroni » officium ita amplexum esse, ut « contrariis » saepe causis dicendis « eadem de re alias aliud defendere » honeste ac libere posset (2), eumdem fugiebat, ad ipsam uniuscujusque causae utilitatem maxime interesse, oratoris « moribus » (quod graece ἠθικὸν vocabatur (3)] animos eorum, apud quos ageret, erga eum conciliari (4). Ex quo quid sequeretur, facile intelligi potest : nam de ejusmodi sane rebus, quae non tam ad ipsam honeste vivendi rationem pertinerent quam latioribus « scientiae civilis » finibus continerentur, pro variarum causarum commoditate aliter alias disserens Cicero inveniri potest : velut jus civile in Caecinae judicio (5) laudaverat, ejusdem dignitatem in Murenae causa (6) irrisit, — dicendi artem ad amplissimum honorum gradum adipiscendum nunc in magna (7),

(1) Hanc distinctionem ab Aristotele ita positam (*Rhet.*, lib. I, cap. 2) omnes fere rhetores retinuerant ; quanquam paulo alia ratione expositam eam invenimus in *Partit. orat.*, 5-6, ubi distinguuntur loci *in re ipsa insiti* et *assumpti*. Ad eos maxime, quos πίστεις ἀτέχνους vocaverat, Aristoteles ipse docuerat (*Rhet.* I, 15) quomodo exercitatio in utramque partem adhiberetur. De talibus locis a Cicerone tractatis V. *Pro Fonteio* (cap. 22-26), *Pro Scauro* (44-45), ubi *de genere testium* disputatur, — *Pro Roscio comoedo* 46 (*de jure jurando*), *Pro Sulla*, 78-79 (*de quaestionibus et tormentis*) ; etc.

(2) Cf. *Pro Cluentio*, cap. 50-51, ubi de « judicio Juniano » agitur, praesertim § 139 et 142 ; — *De Orat.* II, 30 ; atque *De Offic.*, II, 51 (ubi eamdem libertatem paulo verecundius vindicat.

(3) Cf. *Orat.* 128, etc.

(4) Cf. *De Orat.* I, 87 ; II, 176, 182-184, etc.

(5) *Pro Caecina*, cap. 18 (nam « tota causa de verbis interdicti erat », cf. *Orat.* 102).

(6) Ut notavimus paulo supra p. 74, 77.

(7) *Pro Murena*, 29-30.

nunc in minima commendatione ponit (1) ; — neque profecto, qui de certis aut suae aut superioris aetatis personis factisque (2) magnam aliter alias sentiendi libertatem sibi assumebat, is in vagis ejusmodi locis tractandis quidquam habebat, cur aliqua sibi semper conveniendi cura prohiberetur dicere, quidquid singulis causis separatim consideratis utilissimum videretur. Eae vero sententiae, quae ad ipsam virtutum aut vitiorum aestimationem spectabant, huic in utramque partem disserendi quasi ludo non nisi prudentissime implicari potuerunt, cum ab eis, quae cum honestate congruentes populo probarentur, aperte discedere dicendo neque in judiciis neque in concione neque in senatu utile unquam fieri posset. Ut enim res praeclare se habebat, si ejus generis sententiis oratio ornari et commendari posset, ita in eis causis, quarum ipsa ratio ab honestissimis sententiis oratorem vel invitum abducebat, eas attingere minime expediebat nisi tam leviter declinandi artificio, ut etiam tum, cum re negligerentur, verbis tamen observari viderentur : sicut noster ad Caelium defendendum (3) elegantissime fecit.

Neque igitur casu effectum est, ut ad quamdam imaginem eorum praeceptorum, quae per libros *de Officiis* inscriptos exposita legimus, referre liceat eam personam, quam noster auctor per orationum varietatem ad « oratorios mores » sibi composuisse videtur, quamque ad omni laude ornandam cum satis sua sponte ferretur, tum ipsa adversariorum reprehensione adduci se in multis

(1) *P. Plancio*, 62. — Sic de tribunicia potestate (*in Verr.* act. II, lib. V, 163 — et *P. Cluentio*, 95, 110) intra quattuor annorum spatium sententiam mutavisse videtur (de qua V. *De Legib.* lib. III) ; — de nobilitate ; etc.

(2) Velut de Gracchis (Cf. *De Lege agrar.* II, 10, 30, 81. *Pro C. Rabirio*, 14, 31; *in Catilinam* I, 3, 4, 29 ; *De Harusp. responsis*, 41-43 ; *P. Milone*, 8, 14, 72, 83 ; etc.) ; — de « judicio Juniano » quod in Verris accusatione (action. I, 39 ; act. II, lib. II, 157) corruptum fuisse dicit, in orat. *P. Cluentio* non corruptum fuisse defendit (atque ea causa fuit cur in hac oratione libertatem eadem de re alias aliud defendendi, sicut eum fecisse notavimus, sibi vindicaverit. — Vide etiam quae de Catilina dicuntur in orat. *P. Caelio*, 11-14.

(3) In locis supra notatis, p. 72 (*P. Caelio*, 27 sqq.). Haec erat occasio aliquid ejusmodi faciendi, quod Socratem in *Phaedro* de auditoribus a vero ad falsas veri similitudines amovendis disseruisse (Cf. supra p. 27, n. 4, notavimus.

causis testatur (1). Ac, ne in rebus forte minutioribus, et certe quidem satis notis, longiores simus quam opus est, non persequemur per singulas orationes ea quae de duplici accusationis et defensionis ratione similiter atque in secundo *de Officiis* libro (2) disseruit (quae profecto in eum aptissime cadebant, qui impositam sibi de civium periculis defendendis quasi legem a suis dicendi initiis per quadraginta annorum spatium vix semel iterumque interruperit) (3) ; ne in eis quidem haerebimus, quae in pluribus causis de susceptae defensionis officio accusatoribus neglectam vel amicitiae vel dignitatis rationem objicientibus, variis officiorum momentis inter se comparandis, respondebat (4), praesertim cum ei sane commodissimum fuerit, laudabile humanitatis officium eis causis recipiendis praetendere, in quibus a dignitate vel maxime discrepare videretur : velut eo tempore, cum et in judiciis et in senatu (5) sua dicendi facultate ita utebatur, ut diversis potentium hominum rationibus sui ipsius conservandi causa nimium inservire videretur (6), in suscipienda eorum defensione, quos paulo ante omni infamiae genere in publicis orationibus notaverat (7), se « mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere (8) » gloriabatur ; — sed ad concludendam hanc nostrae disputationis partem aptius erit commemorare, quomodo notatissimorum

(1) Cf. *P. Sulla*, 2, 35 ; *De domo sua*, 92, 95 ; *P. Sestio*, 31, 147 ; *P. Plancio*, 4.

(2) *De Offic.*, II, 49, 50. — Cf. *Pro Sex Roscio*, 83, 91 ; *in Q. Caecilium*, 1-4, 5 ; 9, 24 ; 70, 71 ; *in Verr.*, act. II, lib. I, 15, 21 ; II, 1, 10 ; 179 ; III, 1 ; *Pro Murena*, 56, 59 ; *Pro Flacco* , 2 ; *in Vatinium testem*, 5 ; *Pro Caelio*, 16, 45, 74, 76.

(3) In libro V, 182, actionis II *in Verrem*, profitebatur se « in hoc reo finem accusandi facturum esse » ; neque deinde quemquam alium accusavit nisi Munatium Bursam « de vi publica » anno 702. (Cf. *Ep. ad Famil.*, VII, 2 ; quae accusatio nobis non tradita est.)

(4) Cf. *P. Murena*, 3-6, 7-10 ; *P. Sulla*, 2-10 ; 18-20 ; 48-49 ; *P. Plancio*, 5-6 ; 79-80 : ad hanc officii sui defensionem in Plancii causa is locus de gratia pro beneficiis referenda, quem supra retulimus (p. 76) pertinet

(5) Sicut in orat. *de Provinciis consularibus*.

(6) Idque ei satis objiciebatur : Cf. *De Provinc. consular.*, passim ; — *in Pisonem*, 75-82 ; *P. Plancio*, 91-94 ; *P. Rabirio postumo*, 33.

(7) Velut Vatinium et Gabinium, quorum defensiones nobis non traditae sunt.

(8) Cf. *P. Rabirio Postumo*, 32 : ubi id dicitur de suscepta Gabinii defensione.

vitae suae publicae temporum commendationem per duas praestantissimas virtutes, — constantiam humanitate conjunctam, — persecutus sit. Sic enim in eis, quae ad opprimendam Catilinae conjurationem consul gesserat, cum periculorum pro reipublicae salute fortiter susceptorum laudem sibi tribuebat, tum « crudelitatis » crimen ab inimicorum malevolentia objectum a se ita repellebat, ut affirmaret, se ab his lenitatis misericordiaeque partibus, quas a natura ipsa doctus semper libentius ageret, ad induendam illam gravitatis severitatisque personam quamvis invitum, constanter tamen, cum respublica id desideraret, se traduxisse (1). Atque in hoc sane inhumanitatis maledicto purgationem sui satis facilem habebat ; sed ut omni dicendi artificio, ita pulcherrimo sententiarum moralium instrumento ei enitendum fuit, ut ad refellendam diversam inimicorum invidorumque de aliis temporibus vituperationem (2) demonstraret, se, cum sceleratissimorum hominum « crudelitati cessisset (3) », non, quod illorum furorem audaciamque pertimuisset, parato « bonorum auxilio » defuisse (4), sed « ea condicione tam fortem fuisse, ut cum patriae caritate constantiae gloriam commutaret (5) ». Nam quod non potuisset nisi animo fracto et afflicto « patriae causa patriam ita amittere (6) » neque a fletu abstinuisset (7), hoc ipso laudabiliorem virtutem suam fuisse praedicabat, quam si propter quamdam animi duritiam susceptos pro patria dolores minus sensisset (8). Atque hac de discessu suo disputatione ornanda et amplificanda ad eam sui ipsius

(1) Haec verba ex orat. *P. Murena*, 6, sumimus, quae causa ante tertiam orationem *in Catilinam* habitam dicta est, — sed easdem fere sententias invenimus in orat. *in Catilinam* IV, 11-13, et in orat. *P. Sulla*, 1, 7, 8, 18, 87, 93, anno post habita ; cf. etiam « *De domo sua* », 94.

(2) Cf. *De domo sua*, 95 : « Exstinctum est jam illud maledictum crudelitatis .. : aliud exortum est : objicitur mihi meus ille discessus... » ; *P. Plancio*, 86.

(3) Cf. *De domo sua*, 56, 58 ; *P. Sestio*, 36 sqq.

(4) Cf. *P. Sestio*, 43 ; *P. Plancio*, 86.

(5) *Pro Sestio*, 37 : haec de Q. Metello dicuntur, cujus cum cessione Cicero suam ipse comparat.

(6) et (7) Cf. *De domo sua*, 98, 97.

(8) Ibid., 97-98 ; *P. Sestio*, 49. — Cf. Similem sententiam in *Tuscul.* III, 12.

commendationem progrediebatur, ut non modo sic statueret, se « bis servavisse rempublicam, qui consul togatus armatos vicisset, privatus consulibus armatis cessisset (1) », sed etiam hanc vel praecipuam « cedendi » causam sibi esse debuisse contenderet, quod reipublicae conservandae exemplum secum simul interiturum fuisset; se igitur, si vitam suam deseruisset, rempublicam proditurum fuisse, — « in qua nunc ipso restituto viveret cum ipso simul exemplum fidei publicae (2) » : quo quidem exemplo adulescentes commoneri velle se aiebat, ne ad rempublicam contra improbos cives defendendam segniores essent (3). — Neque ad propositum nostrum refert dijudicare, quatenus res ipsae, quas noster orator tantae laudi sibi ipse vertebat, talis orationis majestati respondissent: quo magis in eis ita amplificandis eum a veritate discessisse judicaverimus (et hoc quidem non disceptamus), eo clariore exemplo eum demonstrantem agnoverimus, — id, quod ipse prae se tulit, — quam paratus ad dicendum quidem is accederet, qui « philosophiam, matrem omnium bene factorum beneque dictorum, complexus esset (4) ».

(1) *De domo sua*, 99.
(2) et (3) Cf. *Pro Sestio*, 49, 50, 51 ; atque 14.
(4) V. locum quem ex *Bruto* (322) supra excerpsimus (p. 61).

CAPUT III.

De « propriis philosophorum sententiis » per Ciceronis orationes disseminatis.

I

Dum ita persequimur, sicut hactenus fecimus, quid potissimum per Ciceronis orationes ei rationi respondere videatur, quam de philosophia ad oratorium usum cognoscenda maxime ipsius propriam esse judicaveramus, propria ejusdem rationis vi efficiebatur, ut non tam de ipsis rebus et sententiis quam de earum tractandarum modo quaereremus. Quod sane ita fieri debuit, dum in universis rebus versabamur, quarum ad communes summas omnem « civilem orationem (1) » alias alio modo pertinere noster auctor intelligebat, quasque easdem fere per libros *de Republica*, *de Legibus* (2), *de Officiis*, inscriptos certa adhibita ratione ipse explicavit : nam in rebus ejus generis, per singulas orationes sparsis et cum ad opportunitatem variarum causarum tum ad popularem intelligentiam accommodatis, haud facile dijudicari potest, quid a propria philosophorum doctrina potius quam a vulgari quadam et in medio posita sapientia ductum sit, praesertim cum nostri oratoris adulescentia in eam aetatem incidisset, qua in romana civitate « majorum » prudentia aliqua philosophiae graecae communicatione jam immixta erat. Quemadmodum enim apud Graecos philosophia a communi et quasi vaga sapientia ad proprias sublimioresque cogi-

(1) Cf. *De Or.*, III, 109 sqq. ; 54 sqq.
(2) De primo praesertim libro *de Legib.* hic loquimur

tationes lento processu ascenderat, sic ea Romam recepta per Romanorum animos paulatim influxerat eosque a respiciendis « majorum » exemplis et institutis ad acutiorem praeceptorum suorum rationem gradatim educebat : indicant nomina clarorum virorum, quos Panaetii auditores et familiares fuisse constat. Itaque, si ipsam rerum et sententiarum vim propter se consideres, — ad eloquentiam forensem vel ea sapientia, quam Cicero in oratore requireret, imbuendam, eo quidem tempore, quo Cicero florebat, forsitan satis esset romanum oratorem non esse in consuetudine civitatis suae « peregrinum atque hospitem » : neque vero Antonio sic disputanti (1) Cicero in suis *de Oratore* libris Crassum suum contradicentem fecit, nisi quod ad « locos » vel e medio arcessitos *cum graviter tum copiose* tractandos (2) propria Academicorum Peripateticorumve exercitatio optima educatrix esset. Sed ab ea summa dicendi virtute in sententiis universi generis exercitata, — quae qua ratione ad philosophiae studium pertineret, a Cicerone ipso admonebamur, — nunc nobis transeundum est ad alia (et ea quidem minutiora) dicendi ornamenta, quibus cum noster orator uteretur, tum maxime in orationibus suis significabat, se « exquisitius quam vulgus hominum philosophiae studuisse (3) ».

Atque ut plane intelligatur, qua de causa haec rerum species — quamvis ei, quam hactenus exposuimus, saepius implicata — ab ea tamen separari ad propriamque explicationem reservari et potuerit et debuerit, utemur exempli gratia illa oratione qua Cicero, ipse quidem prior verbis lacessitus in senatu (4), in L. Pisonem invectus est : qui cum in consulatu Gabinium collegam habuisset eorumque sceleratissimorum consiliorum socium, quibus Cicero « cedere » debuisset, — horum utrumque conjuncte noster orator maledictis insectatur, dum hoc ma-

(1) *De Or.*, I, 218 sqq.; atque II, 131. — V. supra in nostra Parte I.
(2) Cf. *De Finib.*, IV, 5, ubi « locum civilem » a Peripateticis Academicisque *graviter* et *copiose* esse tractatum dicitur.
(3) Cf. eum *Bruti* (322) locum quem supra retulimus, p. 61.
(4) Anno 699 (55 ante Chr.), ut maxime probabile videtur.

xime se delectari et perfrui profitetur, quod uterque in provincia administranda « foedissimae turpitudinis notas subierint (1) » ; sententiamque suam ita persequitur (2) :

... An ego, si te et Gabinium cruci suffixos viderem, majore afficerer laetitia ex corporis vestri laceratione, quam afficior ex famae? Nullum est supplicium putandum, quo afficî casu aliquo etiam boni viri fortesque possunt. *Atque hoc quidem etiam isti tui dicunt voluptarii Græci (quos utinam ita audires, ut erant audiendi: nunquam te in tot flagitia ingurgitasses; verum audis in praesepibus, audis in stupris, audis in cibo et vino), sed dicunt isti ipsi, qui mala dolore, bona voluptate definiunt, sapientem, etiamsi in Phalaridis tauro inclusus succensis ignibus torreatur, dicturum tamen suave illud esse seque ne tantulum quidem commoveri: tantam virtutis vim esse voluerunt, ut non posset esse unquam vir bonus non beatus.* Quae est igitur poena, quod supplicium? Id mea sententia, quod accidere nemini potest nisi nocenti, suscepta fraus, impedita et oppressa mens, bonorum odium, nota inusta senatus, amissio dignitatis...

Quo in loco referendo si ea omisissemus, quae de Epicureis dicta a reliquo sententiae tractu separari posse indicavimus, nihil sane orationis contextui deesse videretur ; sed de sententiae explicatione certissimum propriae Ciceronis eruditionis signum detractum esset. Nam quod summum supplicium non in « morbo, morte, cruciatu (3) », sed in « ignominia (4) » esse ponit, tali sententia in senatu romano proferenda nihil novi afferebat nisi amplificandi artificium quo utens in ea haeret et commoratur (5) eamque multis modis oratorie versat (6) ; quod autem ad eam confirmandam a philosophorum potius scholis sic sumpsisse videtur, « nullum esse supplicium putandum, quo affici casu aliquo etiam boni viri fortesque possint », — ne hoc quidem argumentum nisi ad popularem et fere vulgarem rationem traductum adhibuit : eam enim « ignominiam », qua inimicum suum a senatu notatum esse ait, fortunae casibus ita opponit,

(1) V. ipsam orationem, 41 sqq. ; 45 sqq.
(2) *In L. Pisonem*, 42.
(3) et (4) *In L. Pisonem*, 43, 45.
(5) Sicut in *Oratore* (137) admonet oratorem saepius facturum.
(6) Cf. in *L. Pis.* 43, ea quae sequuntur locum supra relatum.

tanquam non perspiceret, in bonorum improborumque distinctione opinionem hominum eisdem fortunae casibus saepius assimulandam esse. Nam quod eamdem rationem extrema ejusdem orationis parte repetitam ad subtilitatem quamdam philosopho digniorem adducere videtur, id quidem satis inconstanter, cum a priore interpretatione idcirco non desistat (1), sed tamen sic intelligi vult, se ne supplicium quidem legis ac judicii in Pisonem expetiisse (2) :

« ... Nullam mihi poenam videtur habere id, quod accidere innocenti, quod forti, quod sapienti, quod bono viro et civi potest. Damnatio ista, quae in te flagitatur, obtigit P. Rutilio, quod specimen habuit haec civitas innocentiae : major mihi judicum et reipublicae poena visa est quam Rutili ; L. Opimius ejectus est e patria, is qui et post praeturam et consul maximis rempublicam periculis liberarat : *non in eo, cui facta est injuria, sed in iis, qui fecerunt, sceleris et conscientiae poena remansit...* » ;

ea vero sententia fere platonica, quam his nostri oratoris verbis expressam invenimus, utebatur quinquaginta ante annis (3) Q. Metellus Numidicus verba faciens ad Quirites de triumpho, quem sibi a Mario injuria negari videbat :

« Qua in re, quanto universi me unum antistatis, tanto vobis quam mihi majorem injuriam atque contumeliam facit, Quirites ; et quanto probi injuriam facilius accipiunt quam alteri tradunt, tanto ille vobis quam mihi pejorem honorem habuit : nam me injuriam ferre, vos facere vult, Quirites (4)... » ;

atque de ipsa bene aut male factorum conscientia vetus Cato ita disseruisse fertur in ea oratione quam sub Numantiae moenibus « ad equites » habebat eo tempore, cum vix ad primam sapientiae graecae notionem per

(1) Nam summam poenam ex opinione hominum pendentem facit (99), sicut faciebat, 42 44-45.

(2) *In L. Pisonem*, 95-99. — Cf. 82.

(3) Anno u. c. 647 = 107 ante Chr.

(4) Aulus Gellius, qui nobis hanc Metelli locum tradit (*Noct. Att.*, XII, 9), in eo agnosc i vult « Socratis decretum : κάκιον εἶναι τὸ ἀδικεῖν τοῦ ἀδικεῖσθαι. » — Ex alio etiam ejusdem Metelli loco, quem A. Gellius refert (I, 6), apparet eum in quadam philosophiae notitia eruditum esse debuisse.

sententias in fabulis latine conversis intextas Romani accessissent :

« Cogitate cum animis vestris : si quid vos per laborem recte feceritis, labor ille a vobis cito recedet, bene factum a vobis dum vivitis non abscedet ; sed, si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit : nequiter factum illud apud vos semper manebit (1). »

His conferendis Catonis aut Metelli fragmentis intelligi potest, propriam Ciceronis eruditionem non tam in ipsa sententiarum moralium gravitate (2) agnoscendam esse, quibus eum acerbissima in Pisonem maledicta aptissime quidem ornantem videmus, quam in multarum sententiarum elegantia, quas ad Epicureorum doctrinam pertinentes eidem orationi intextas invenimus. Nam Pisonem sane ut « eruditum » (3), ut « philosophum (4) », ut « Epicureum (5) » contumeliose designare, quivis alius — vel minime litteratus — potuisset ; sed illud Ciceronis proprium fuit, et eo loco, quem jam retulimus, certas eorum philosophorum sententias, quorum se sectatorem esse Piso aiebat, ad ejusdem ipsius reprehensionem convertere, et inferiore loco alias Epicuri « scholas » inducere, quibus utens Piso fingitur C. Caesarem generum suum (6) « gloriae cupiditate flagrantem » sic docens, triumphum aut « supplicationes » res omnino vanas atque contemnendas esse :

« Dices enim, ut es homo facetus ad persuadendum, concinnus, perfectus, politus ex schola : « Quid est, Caesar, quod te supplicationes totiens jam decretae tot dierum tanto opere delectent? in quibus homines errore ducuntur, *quas di neglegunt* ; *qui*, ut noster divinus ille dixit Epicurus, *neque propitio cuiquam esse solent neque irati*. » Non facies fidem scilicet, cum haec disputabis ; tibi enim et esse et fuisse videbit iratos. Vertes te ad alteram scholam : disseres

(1) A. Gellius haec verba referens (XVI, 1) animadvertit ea plane respondere graeco Musonii philosophi « ἐνθυμηματίῳ » in scholis aetatis suae tradito et laudato.

(2) De qua separatim a verborum artificio considerata hoc loco dicimus.

(3) et (4) Sicut *in L. Pisonem*, 56, 58, 59, 62.

(5) Ibid., 20, 37 ; quanquam Cicero dicit : « Epicure ex hara producte, non ex schola... »

(6) Tunc in Gallia bella gerentem.

de triumpho : « Quid tandem habet iste currus, quid vincti ante currum duces, quid simulacra oppidorum, quid aurum, quid argentum, quid legati in equis et tribuni, quid clamor militum, quid tota illa pompa? Inania sunt ista, mihi crede, delectamenta paene puerorum, captare plausus, vehi per urbem, conspici velle. Quibus ex rebus nihil est, quod solidum tenere, *nihil quod referre ad voluptatem corporis possis* (1)... »

Nec minus facete idem Piso,— interrogatus, cur in ludos prodire non audeat, — per ipsas suorum philosophorum « scholas » paulo infra deridetur :

« Instant post hominum memoriam apparatissimi magnificentissimique ludi, quales non modo nunquam fuerunt, sed ne quo modo fieri quidem posthac possint, possum ullo pacto suspicari. Da te populo, committe ludis (2). Sibilum metuis? Ubi sunt vestrae scholae? Ne acclametur times? Ne id quidem est curare philosophi. Manus tibi ne afferantur? *Dolor enim est malum*, ut tu disputas; existimatio, dedecus, infamia, turpitudo, verba atque ineptiae (3)... »

Haec et talia videlicet ea erant, quae cum in senatu noster orator proferret, tum profitebatur, se « non apud indoctos, sed in hominum eruditissimorum et humanissimorum coetu loqui » (4) ; haec et talia maxime illi assiduo « neque unquam intermisso » (5) philosophiae studio respondere videntur, quod per orationes suas « philosophorum sententiis refertas (6) » declarari M. Tullius ipse professus est.

II

Et quidem, quanquam de superioris aetatis oratoribus propter paucitatem fragmentorum, quae de iis nobis

(1) *In Pisonem*, 59-60. — Neque ad rem nostram refert, in secunda « schola » eorum, quae retulimus, extrema verba proprie Epicurea sola esse (nam cetera aliis etiam philosophis probari fere poterant.

(2) De « ludorum consessu » noster orator in orat. *P. Sestio* (106, 115-127) disserit, tanquam de uno ex trium locorum, ubi « significari maxime de republica populi romani judicium ac voluntas possit » (duo alia dicuntur esse : concio et comitia).

(3) *In Pisonem*, 65.

(4) Ibid., 68

(5) et (6) Cf. *Brut.*, 315 ; *De natura deorum*, I, 6.

tradita sunt (1), nihil nisi cautius affirmare licet, tamen ex ipsis Tullianis orationibus argumenta duci possunt, M. Tullium ejus generis eruditionis publicis orationibus inserendae primum auctorem fuisse, quippe qui non nisi sero neque nisi aliquam excusationem afferendo (2) id facere coepisse ipse videatur. Nam in illa pro Sex. Roscio Amerino oratione,— quae quidem propter sententiarum moralium copiam maxime eminet inter causas, quas ante consulatum dixit, — de Furiis animum scelerum suorum conscium vexantibus (3), de Providentia etiam (4) graves quidem sententias ad amplificandum inserebat, sed tamen ejus generis, quae sane hominem « litteratum » [qualis scilicet judicibus clarissimi ordinis (5) videri volebat is, qui primum « causam publicam » tunc dicebat, non quae hominem singulariter in philosophia versatum indicarent ; atque deinceps, cum dicendi curriculum aliquamdiu interruptum (6) repetiisset, hanc « philosophantis » speciem fere vitavisse videtur, — videlicet ne suscepti « Graeculi » (7) fama initae jam honorum ambitioni obesset. Sed eo demum anno, quo peracto honorum cursu aliquam in dicendo novitatem auctoritate consulari commendare poterat, tum primum eum videmus — neque sane in eis orationibus, quas in concione aut in senatu habitas ipse « consulares » appellavit (8), — sed in Murenae defensione ea studia liberius in publicum pro-

(1) V. « *Oratorum romanorum fragmenta* » edita ab Henrico Meyer (Parisiis, 1837).

(2) Cf. *P. Murena*, 61 ; atque *P. Archia*, 3 ; *in Pisonem*, 68.

(3) *P. Sex. Roscio*, 66-68.

(4) Ibid., 131, ubi inter Jovem omnia regentem et Sullam res romanas gubernantem comparatio instituitur.

(5) Nam judicia tunc omnino « senatoria » erant.

(6) Dum Cicero in Graeciam et in Asiam profectus erat

(7) Hoc cognomine eum e Graecia reducem Romae vulgo appellatum esse Plutarchus tradit (*Vita Cicer.*, cap. 6). — Cf. quae de Crasso et Antonio doctrinae suae dissimulatoribus Cicero refert, *De Or.*, II, 4.

(8) *Ep. ad Attic.*, II, 1. — Nam aliquot diebus post orationem *P. Murena* habitam cum in senatu de conjurationis Catilinae sociis ageretur, oblatum a Caesare praetore scholae de *morte* interponendae occasionem in oratione sua fere praetermittebat (*in Catil.*, IV, cap. 4,; — ipsum autem argumentum, quo Caesar ita, ut notum est, utebatur, Cicero in Cluentii defensione (71) eadem fere ratione adhibuerat.

ferentem, quibus per civiles occupationes « subsiciva tempora » (1) tribuere nunquam intermiserat. Et quidem hoc satis novum esse debuit, consulem populi romani, — cum ipso consulis officio adductum se diceret (2), ut consulem designatum, de ambitu reum, in quaestione legitima defenderet, — ad quamdam de Stoicorum doctrina « scholam » causam traducere (3) atque de eis « verborum praestigiis », quibus Stoici παράδοξα sua composuissent, ea disserere, quae in quarto *de Finibus* libro — ad subtiliorem sane explicationem expressa — repetere postea potuerit (4). Non quo talem disputationem orationi suae sine certa ratione inseruerit : dum enim Catonis, quo subscribente Sulpicius Murenam accusabat, auctoritatem ita minuere tentabat, ut eum ad omnes virtutes *natura* ipsa factum esse agnosceret, neque in eo quidquam vituperari posse nisi quod ad durioris *doctrinae* vitium referri deberet (5), — occasionem eorum, quae de Stoicis disseruit, in ipsa causa inveniebat : sed quod ea occasione, sicut fecit, usus est, id oratori, non causae, imputandum est.

Qui autem et per hanc ipsam Stoicae disciplinae reprehensionem inducebatur, ut fateretur, « se quoque in adulescentia diffisum ingenio suo quaesivisse adjumenta doctrinae » (nam Academiae doctores, ut « suos », Stoicis opponebat) (6), et anno post in Archiae causa hanc professionem apertius iterando « studia humanitatis » (7) ita laudabat defendebatque, ut ea, quae de universa « bonarum artium » societate (8) diceret, ad philosophiam

(1) Ut dicitur *De Legib.*, I, 9.
(2) Cf. *P. Murena*, 4-5.
(3) *P. Murena*, 58-66, — atque rursus, 74-77.
(4) Cf. *De Finib.*, IV, 74 sqq. : Cicero Catoni Stoicorum patrono respondet ; et ipse quidem ait se non « jocari », sicut « isdem de rebus cum Murenam defenderet » ; sed ad eamdem sententiam summa disputationis dirigitur.
(5) Cf. *P. Murena*, 60.
(6) *P. Murena*, 63.
(7) Sic dicitur in or. *P. Murena*, 61, et *P. Archia*, 3.
(8) Cf. *P. Arch.*, 2 ; « Etenim omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinclum et quasi cognatione quadam inter se continentur. »

maxime certis locis (1) spectare viderentur, — is nihil jam habebat, cur in posterioribus orationibus a producendis his studiis abstineret, quibus quantum cum ad utilitatem tum ad delectationem (2) tribueret, tam plane significavisset. Nec vero disputatio nostra per singulas orationes nobis ita deducenda videtur, ut per eas vel minutissima talis, qualem dicimus, eruditionis vestigia aut ornandi aut etiam jocandi causa impressa persequamur : velut in oratione *pro P. Sulla* noster orator « regnum » sibi ab accusatore objectum (3) in stoicam de vero rege (4) interpretationem facete convertebat (5), aut in exordio orationis *pro Balbo* habitae ad laudandum litteratius Cn. Pompeium utebatur hac stoica sententia, quam in tantum illum virum aptissime cadere aiebat, « ei, qui omnes animo virtutes penitus comprehendisset, omnia, quae faceret, recte se dare » (6) ; — neque nos conferemus ad aridiorem diligentiam perpendendi, ad qualem argumentandi utilitatem aut in oratione *pro M. Scauro* (7) Pythagoram aut Platonem « mortem ita laudantes, ut fugere vitam vetent » (8), protulerit, aut in M. Caeliicausa brevem quamdam graecarum de moribus doctrinarum descriptionem introduxerit, quarum prae-

(1) *P. Arch.*, 14-15-16.

(2) De utilitate dicitur in orat. *P. Arch.*, 13-15, deinde de delectatione, 16.

(3) *P. Sulla*, 21 : « hic ait se ille regnum meum ferre non posse... »

(4) Quanquam haec eadem fere apud Epicureos dicebantur ; sed ut stoica maxime ferebantur ; cf. *De Finib.*, III, 75-76 ; IV, 7, 74 ; *P. Murena*, 61 (« . . si servitutem serviant, reges »...).

(5) *P Sulla*, 25 : « . . nisi forte regium tibi videtur ita vivere, ut non modo homini nemini, sed ne cupiditati quidem ulli servias,.. etc.... Si hoc putas esse regium, me regem esse confiteor... »

(6) *P Balbo*, 3 (Pompeius pro Balbo cliente suo ante Ciceronem dixerat) ; cf. *Tuscul* , IV, 36. — Sic etiam in orationibus, quarum alteram pro M. Marcello in senatu, alteram pro rege Dejotaro intra parietes, ad Caesarem habuit, ea introducebat (*Pro Marc.*, 9 ; — *Pro Dejot.*, 37 ; cf. infra, p. 98, n. 5), quae quamvis breviter significata ad illam institutam inter philosophos de summo bono contentionem pertinere eruditissimus dictator recte intellecturus esset

(7) *P. Scauro* (huic orationi multa desunt), cap. 4, — ubi ad disserendum de morte voluntaria ipsa accusatione Cicero adducebatur. — Statim ante, ipsa Socratis in *Phaedone* inducti de morte sententia relata est, propter exemplum Cleombroti Ambraciotae, qui post hunc lectum dialogum se ex altissimo praecipitasse muro ferebatur (haec omnis pars orationis ad minuendam testis Aris auctoritatem spectat).

LIBRARY OF THE UNIVERSITY

cepta a « pristina severitate » discrepantia referre posset (1) ad defendendum eum adulescentem, qui « Clodiam paulo liberius salutavisset » (2); — sed, quoniam in propria Ciceronis eruditione jam nunc versari nos praedicavimus, hoc potius nobis proponi debet, ut de rebus ipsis propter se consideratis inquiramus, quatenus ipsa sententiarum ejus generis per orationes disseminatarum varietas ad ejusdem propriam philosophandi rationem redigi posse videatur. Non quo a nostro oratore in talibus rebus magis quam in aliis certa secum constantia aut requiri debeat aut etiam exspectari possit : qui enim ne in eis quidem scriptis, ubi de eisdem rebus in extrema vitae suae parte (3) ut philosophus disseruit, artiorem sibi semper conveniendi legem sibi imposuerit, sed Carneadiam *probabilia* sequendi rationem ita interpretatus sit, ut vel alia alias « probare » sibi « in diem viventi » (4) liceret, — quomodo miraremur eumdem ut oratorem in his rebus, quas parvi ducere Romanis adhuc mos patrius erat (5), singularum causarum utilitati aliquantum concessisse ? Sed tamen, quia ipse de his « humanitatis studiis » (6) hanc opinionem (quam postea magis magisque sibi persuasam habuit) in « judicio publico » (7) primus, ut videtur, declaravit, neque ad vanam quamdam eruditionem ea repellenda esse neque ad ornandam tantummodo dicendi facultatem prodesse (8), sed ad

(1) *P. Caelio*, 40-41 : «.. Itaque alii voluptatis causa omnia sapientes facere dixerunt... ; alii cum voluptate dignitatem conjungendam putaverunt, ut res maxime inter se repugnantes dicendi facultate conjungerent ; illud unum derectum iter ad laudem cum labore qui probaverunt, prope soli jam in scholis sunt relicti ... » — De ea formula, quae dignitatem (vel honestatem) cum voluptate conjungebat, cf. *Acad. Pri* II, 131 ; — *De Finib.*, II, 35 ; V, 21 ; — *Tuscul.*, V, 85, ubi haec formula Calliphonti Dinomachoque tribuitur ; sed in oratione *Pro Caelio* Cicero alios etiam cum his confundere de industria videtur.

(2) Cf. *Pro Caelio*, 38.

(3) Nam hic de ea serie librorum, quae ab *Academicis* incipit, tantum loquimur.

(4) Sicut dicit in *Tuscul.* V, 33.

(5) V. ea, quae de Crasso M. Tullius dicit in libro *De Or.*, II, 40.

(6) *P. Archia*, 3. — *P. Murena*, 61. Cf. supra in hoc ipso capite.

(7) Hoc animadvertit M. Tullius in or. *P. Archia*, 3.

(8) Cf. *P. Arch.* 13 : «... ex his studiis haec quoque crescit oratio

ipsam recte faciendi rationem summe pertinere(1),—idcirco ita cadere debuit, ut ea, quae de variis philosophorum doctrinis - quamvis ad popularem intelligentiam accommodata (2) —ut apud eruditos dicere se in pluribus orationibus ait (3), ad eorum vivendi praeceptorum commendationem retulerit, quae eadem in summa ut vir civilis atque ut philosophus maxime probare se professus est.

III

Et vero, qui specimen quoddam constantiae humanitate conjunctae, sicut diximus (4), in se agnosci volebat, ejusdem omnino erat, cum in sua *pro Murena* oratione Stoicorum doctrinam in Catone reprehenderet tanquam « paulo asperiorem aut duriorem quam aut veritas aut natura pateretur », tum moderatiorem temperatioremque Academicorum disciplinam ita, ut fecit, illis opponere (5). Non quo ipsa Stoicorum praecepta a praescribenda « humanitate » repugnarent (6) : sed jam animadvertimus, Ciceronem sua propria natura ad ejusmodi virtutem commendandam ductum esse, quae lenitate quadam animi et his dulcissimis affectibus, quibus Academici sane plus concederent, misceretur. Nec vero, dum Academicos, ut « suos », sic laudabat, Stoicos omnino rejiciebat : sed, dum jocos, quos tempori et causae concesserat (7), ad severiorem eamdemque aequiorem orationem traducebat,

et facultas, quae quantacumque in me est nunquam amicorum periculis defuit. »

(1) Cf. *P. Arch.* 13... (« Quae si cui levior videtur... », etc.), — 14-16. — Cf. *in Pisonem*, 71 : «... si quidem philosophia, ut fertur, virtutis continet et officii et bene vivendi disciplinam. »

(2) Cf. *De Finib.*, IV, 74 : « Apud imperitos tum illa dicta sunt .. »

(3) Cf. *P. Murena*, 61 ; *P. Arch.*, 3 ; *in Pisonem*, 68.

(4) Cf. extremam partem superioris capitis, p. 82.

(5) Cf. *P. Murena*, 60-63.

(6) Cf. *De Finib.* III, 63 sqq.

(7) Velut cum dicebat, secundum Stoicos « non minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuisset, quam eum, qui patrem suffocavisset. » Cf. *De Finib.* IV, 74.

sic dicebat, « ipsos sibi videri praeceptores et virtutis magistros, quos Cato sequi se profiteretur, fines officiorum paulo longius, quam natura vellet, protulisse, *ut, cum ad ultimum animo contendissemus, ibi tamen, ubi oporteret, consisteremus* » (1). Et quidem, tanquam illius doctrinae in mitiorem partem interpretandae exempla Catoni proponebat clarissimos viros Scipionem maxime et C. Laelium, quos ex eodem studio eruditos non idcirco asperiores factos esse aiebat (2) : quorum quidem exemplum dum Academicorum praeceptis ita adjungere videtur, non ut « apud imperitos » agens (3) talem confusionem inducebat, sed orationem suam ad hanc rationem fere dirigebat, quam secutus (4) ut philosophus sic contendit, Academicorum Stoicorumque in verbis magis quam in rebus omnem dissensionem fuisse : ex quo sane efficiebatur, eam dissensionem vix jam apparere, si ea magnificentior verborum ostentatio, quam Stoici induxissent (5), ad usum vitae redigeretur.

Hac eadem ratione utens in Archiae judicio, dum eorumdem virorum, Africani, Laelii, L. Furii, exempla eo consilio proferebat, ut significaret, quid « praeclarum ac singulare » ad naturam eximiam et illustrem « ratio quaedam conformatioque doctrinae » adjungeret (6), — a Stoicorum doctrina, qua potissimum illos eruditos fuisse constabat, ne secernere quidem videbatur eam disciplinam, a qua ipse se didicisse profitebatur, « nihil esse in vita *magnopere* (7) expetendum nisi laudem atque honestatem, in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis,

(1) *P. Murena*, 65 : — quod non multum abest ab eis, quae de Stoicis in extrema quinti *De Finibus* parte (77 sqq) et in V *Tuscul.* Cicero dixit.

(2) *P. Murena*, 66.

(3) Quanquam huic rationi se aliquid concessisse significat (*De Finib.*, IV, 74), sed maxime in eis, quae de stoicis sententiis disseruisset.

(4) Et a Carneade quidem repetitam (Cf. *De Finib.* III, 41); Cf. supra, p. 52.

(5) Sicut Cicero explicat, in libro IV *De Finibus*.

(6) *P. Archia*, 15 16. Nam quod « Cato ille senex » his adjungitur (*P. Mur.*, 66; *P. Arch.*, 16), id ad rationem aliam referri debet, de qua paulo infra dicemus.

(7) Sic Academici dicebant : Stoici autem « unice », quanquam alias etiam res non *expetendas*, sed *sumendas* esse aiebant (προηγμένα). Cf. *De Fin.* IV, 72.

omnia pericula mortis atque exsilii parvi esse ducenda » (1); cumque a tali philosophiae laudandae ratione omnem fere Stoicorum Academicorumque distinctionem amoveret, forsitan nonnisi de industria neutrorum ne nomina quidem in hanc disputationem introduxerit. Et vero, quorum utrosque nominatim conjunctos tanquam « honesta, recta, digna imperio, digna populo romano » similiter dicentes in suo secundo *de Finibus* (2) oppositurus erat Epicureis ea dicentibus quae a viri civilis oratione omnino abhorrerent, — eosdem videlicet in constanter fortiterque vivendi praeceptis quasi tacitus confundebat, dum in oratione *post reditum in Senatu* habita, Pisonem ut Epicureum hac ironia persequebatur, quod is « magistros « haberet non ex istis ineptis, qui dies totos de officio ac « de virtute dissererent, qui ad laborem, ad industriam, « ad pericula pro patria subeunda adhortarentur, sed eos « qui disputarent horam nullam vacuam voluptate esse « debere, in omni parte corporis semper oportere aliquod « gaudium delectationemque versari » (3); atque item etiam, dum in Sestii causa (4) de eodem homine haec disserebat :

« Laudabat homo doctus philosophos nescio quos neque eorum tamen nomina poterat dicere, sed tamen eos laudabat maxime, qui dicuntur praeter ceteros esse auctores et laudatores voluptatis; cujus et quo tempore et quo modo, non quaerebat, verbum ipsum omnibus animi et corporis partibus devorarat; eosdemque praeclare dicere aiebat sapientes omnia sua causa facere, rempublicam capessere hominem bene sanum non oportere, nihil esse praestabilius otiosa vita plena et conferta voluptatibus; eos autem, qui dicerent dignitati esse serviendum, reipublicae consulendum, officii rationem in omni vita, non commodi esse ducendam, adeunda pro

(1) *P. Archia*, 14

(2) II, 76. Eadem fere verba ibi invenies atque in locis orationum, quos conferimus : « At vero illa, quae Peripatetici, quae Stoici dicunt, semper tibi in ore sunt in judiciis, in senatu (Cicero Torquatum Epicureorum defensorem alloquitur) : officium, aequitatem, dignitatem, fidem, recta, honesta, digna imperio, digna populo romano, omnia pericula pro re publica, mori pro patria,... » etc. — Cf. nost. Part. I, cap. III.

(3) *Post reditum in senatu*, 14.

(4) *P. Sestio*, 23.

patria pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendam, vaticinari atque insanire dicebat. »

Cumque per hanc ipsam ab Epicureis separationem Stoicos Academicosque tacite conjunctos tanquam romanae dignitati satisfacientes noster orator designaret, eo magis animadvertendum est, quo temperamento, dum Pisonem quam acerbissime insectatur, a Pisonis moribus Epicureae disciplinae causam separaverit. Et quidem de hac sejunctione vix aliquid cautius significabat, dum in illa oratione *post reditum in Senatu* habita sic dicebat, Pisonem « esse Epicureum non penitus illi disciplinae, quaecumque esset, debitum, sed captum uno verbo voluptatis » (1) ; eamdem exceptionem paulo clarius indicabat in sua *pro Sestio* oratione (2), ubi tamen Epicureorum doctrinam magis etiam ignorare videri voluit (3), quam ut de ea quidquam firmius suo nomine afferret; in ea vero oratione, quam in Senatu vehementissime in ipsum Pisonem habitam initio hujus capitis commemoravimus, hanc ineruditae Epicuri interpretationis correctionem, ut ipse in his rebus acutius intelligens, apertissime explicavit. Cum enim ei perfacile esset, hujus « voluptariae » (4) doctrinae « turpitudinem (5) » vel amplificatam in Pisonem simpliciter convertere, hanc subtiliorem inimici sui increpandi rationem induxit, ut admoneret, eum ea praecepta, quae vitiis suis praetenderet, in pejus quam quomodo intelligi deberent pro naturae suae malitia interpretatum esse. Ex locis, quos ex ea oratione excerptos supra retulimus (6), judicare licet, quomodo, quem Epicureis quibusdam scholis dedecus suum praetexentem per ludibrium inducebat (7), eidem

(1) *Post reditum in sen.*, 14 : sequuntur ea quae supra retulimus : « Habet autem magistros... etc... »

(2) 23 : V. ipsum locum quem retulimus p. 96 : «... cujus (voluptatis) et quo tempore et quo modo, non quaerebat... »

(3) «. . Laudabat homo doctus philosophos nescio quos... »

(4) Cf. *in Pis.* 42 : « isti tui voluptarii Graeci... »

(5) Sicut paulo ante in or. *P. Caelio*, 41, de Epicurea doctrina judicabat, eo quidem severius quod per Caelii defensionem voluptariae vitae patrocinium ipse suscipere videri poterat. (Cf. ibid. 39.)

(6) Initio hujus capitis, p. 86 et 88-89.

(7) Velut 59-60 66 (locis supra designatis).

nonnullas honestissimas Epicuri sententias objiceret (1) ; atque inferiore loco (2) nostrum audimus, et de illo « Graeco » Pisonis magistro (« Graecum » dicit, non jam « Graeculum », sicut de eodem in oratione *post reditum* dicebat,) ut de « ingenioso homine atque erudito » et « humano » etiam loquentem, — cui generi se esse iratum, ne si cuperet quidem, posse negat, — et de ipsa doctrina haec moderatissima atque temperatissima afferentem :

« Audistis profecto dici philosophos Epicureos omnes res, quae sint homini expetendae, voluptate metiri; rectene ad secus, nihil ad nos, aut, si ad nos, nihil ad hoc tempus; sed tamen lubricum genus orationis adulescenti non acriter intelligenti et saepe praeceps. »

Ipsa talis conclusionis ratio aptissime adhiberi potest ad eam ancipitem sententiam, in qua M. Tullius ut philosophus versans nunc propter « summum bonum » in voluptate positum Epicuri disciplinam turpem philosophoque indignam judicat atque ejusdem honestas sententias rationesque virtutum commendatrices pro nihilo ducere videtur, propterea quod, qui voluptatem in prima commendatione posuerit, ei non sit consentaneum deinde negare, posse quemquam, qui honeste non vivat, jucunde vivere (3), — nunc contra minus curare videtur, num, quae Epicurus honeste ac praeclare dixerit, ea constanter sibi convenienterque dicere potuerit, eumque « in philosophorum chorum (4) » aggregat, tanquam hoc omnis verae philosophiae proprium quamvis inconstanter, tamen voluntate tenentem, « semper beatum esse sapientem » (5).

(1) *In Pis.*, 42 (loco supra relato).

(2) *In Pis.*, 68 sqq.

(3) Cf. hujus sententiae explicationem in libro II *De Finib.*, et in *Tuscul.* V, 26. Epicurus enim id negare, sed « non laborare, quam sibi constanter convenienterque dicat », a Cicerone dicitur.

(4) De his verbis cf. *De Finib.*, II, 26.

(5) Cf. *Tuscul.* V, 83 sqq. (praesertim 110, 119-120), ubi haec Carneadia sententia explicatur, « quaecumque dissentientium philosophorum sententia sit de finibus, tamen... hoc praeclarum quasi decretum beatae vitae (semper beatum esse sapientem) posse omnium sententiis et disciplinis convenire ». — Sic in ea oratione, quam pro rege Dejotaro ad

— Quanquam, quos « bonos viros » (1) ad privatae vitae rationem esse non negabat, eosdem tanquam a capessenda republica suum « sapientem » ad « otiosam vitam (2) » avocantes ut vir civilis probare omnino non poterat : quam ipsam ob causam per Crassum suum in secundo *de Oratore* libro quaerentem « non quae esset philosophia verissima, sed quae oratori conjuncta maxime », eos — etsi « sine ulla contumelia » — dimittebat (3). Nec vero videlicet sine eadem quamvis tacita exceptione et in sua *pro Archia* oratione Africano, Laelio, L Furio, commemorandis philosophiae studium ita commendabat, tanquam *doctrinae* conformatione ad *naturam* eximiam accedente « praeclarum ac singulare » quiddam effici soleret (4), — et in prooemio tertii *de Republica* libri (5) per eorumdem exemplorum prolationem similiter docebat, qui « ad domesticum majorumque morem etiam illam a Socrate adventiciam doctrinam (6) adhiberent », eos « ad laudem omnia consecutos esse ».

IV

Cumque per earum opinionum successionem, quas de variis philosophiis sic proferebat, noster orator ad hanc intimam rationem se componeret, ut omnem philosophiam ad ea vivendi praecepta revocare videretur, quae ipsis

Caesarem intra parietes habuit, M. Tullius de virtutibus quas in rege laudabat (37), de « magnitudine animi, gravitate, constantia », loquitur, tanquam « haec *omnes* docti atque sapientes *summa*, quidam etiam *sola* bona esse dixissent, hisque non modo ad *bene*, sed etiam ad beate vivendum contentam esse virtutem ». — Hanc ipsam de virtutis vi Epicuream sententiam Pisoni objectam vidimus in loco quem supra (p. 86) excerpsimus ex or. *in Pisonem*, 42.

(1) *De Orat.* III, 64. Cf. *De Finib.*, II, 80-81.

(2) *P. Sestio*, 23

(3) *De Orat.* III, 63-64.

(4) *P. Archia*, cap. 7 (locum supra notatum).

(5) *De Republ.* III, 4-6.

(6) Et quidem ipsos Epicureos « a philosophis a Socrate et Platone profectis » segregare videtur in *Tusc.* V, 119, — sed cf. contra *De Or.* III, 62 ; *Acad. prior.* II, 131.

majorum exemplis et institutis responderent, ad rei nostrae explanationem maxime pertinet notare, quomodo in oratione *de Haruspicum responso* habita (1) ipse in Senatu professus sit, se suis in philosophia studiis ab observandis majorum religionibus non deterritum esse. Nam in hac oratione ei sane licebat a rebus, quas tractabat, philosophantis personam omnino semovere, sicut et paulo ante faciebat cum « de domo sua » ageret ad pontifices, et per alias etiam orationes aut ad judices aut ad populum aut in Senatu habitas de dis immortalibus deque eorum religionibus (2) satis multa dixerat ad popularem opinionem simpliciter accommodata (nisi quod honestiorem de eorum numine et mente opinionem interdum pro opportunitate causae introducebat) (3) ; sed tamen, cum tota oratio in prodigiis interpretandis ita versari deberet, ut « Haruspicum responsum », quod Clodius in ipsum convertisset, in illum retorqueretur, majorem videlicet auctoritatem verba sua habitura esse M. Tullius existimavit, si caveret, ne propter ea philosophiae studia, quae ipse jam quasi in publicum produxisset (4), fictam quamdam sententiam ad temporis necessitatem induere videretur. Itaque, antequam explicaret, quid haruspices dixissent, de se ita disseruit :

« Ego enim fateor me et magnitudine ostenti et gravitate responsi et una atque constanti haruspicum voce vehementer esse commotum ; neque is sum, qui, si cui forte videor plus quam ceteri, qui aeque atque ego sunt occupati, versari in studio litterarum, his

(1) Paulo post reditum, — anno 697 = 57.

(2) Velut cum de Verris in deorum templa offensis indignatur (*In Verr.* act. II, lib. II, cap. 18 ; lib. IV, cap. 51 ; lib. V, cap. 72) ; — aut cum de dis Romae propitiis loquitur (*in Catilinam* III ; *P. Sulla* 86 ; *De Domo sua*, 143-144), aut iisdem pro reditu suo gratias agit (*Post reditum in senatu*, — *ad Quirites*, — *De domo sua*, 15-17 ; etc.

(3) Velut *P. Cluentio*, 194, — *De domo sua*, 107 (« nihil expeti ab iis quod sit injustum atque inhonestum fas esse »). — Ne in talibus sententiis noster orator aliquid novi aequalibus suis attulisse videatur, fragmentum Q. Metelli Numidici (ejusdem, quem supra p. 87 commemoravimus) ab Aulo Gellio relatum (I, 6) conferre licet, ubi hanc sententiam de dis invenimus : «... Iisdem deos propitios esse aequum est, qui sibi adversarii non sunt : dii immortales virtutem approbare, non adhibere debent. »

(4) Sicut in orationibus *P. Murena* et *P. Archia*, cf. supra, p. 91.

delecter aut utar omnino litteris, quae nostros animos deterrent atque avocant a religione. Ego vero primum habeo auctores ac magistros religionum colendarum majores nostros, quorum mihi tanta fuisse sapientia videtur, ut satis superque prudentes sint, qui illorum prudentiam non dicam assequi, sed, quanta fuerit, perspicere possint... Deinde, si quid habui otii, etiam cognovi multa homines doctos sapientesque et dixisse et scripta de deorum immortalium numine reliquisse; quae quanquam divinitus perscripta video, tamen ejusmodi sunt, ut ea majores nostri docuisse illos, non ab illis didicisse vîdeantur (1)... »

Sic in eis. quae ad « religionem » pertinebant, eamdem rationem persequebatur, quam modo agnovimus in eis, quae ad ipsa bene vivendi praecepta spectabant : dum enim profitetur, se « non delectari aut uti omnino his litteris, quae animos deterreant atque avocent a religione », Epicureos rejicit [quorum de dis opinionem (2) ad tollendam « pietatem, sanctitatem, religionem » tendere ipse in primo *de natura deorum* libro (3) exposuit] ; dum autem illos « doctos sapientesque homines » prae se fert, quorum auctoritate ea commendata fuisse ait, quae cum majorum sapientia et religionibus congruerent, ejus oratio per eamdem tacitam confusionem, de qua jam diximus, ad illos antiquos Academiae principes non minus quam ad Stoicos spectare videtur. Quanquam ad Stoicos potius se conferebat in argumentis, quae ad hanc congruentiam confirmandam sic colligebat :

« Etenim quis est tam vaecors, qui aut, cum suspexit in caelum, deos esse non sentiat et ea, quae tanta mente fiunt, ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum ac necessitudinem persequi possit, casu fieri putet, aut, cum deos esse intellexerit, non intelligat eorum numine hoc tantum imperium esse natum et auctum et retentum? Quam volumus licet, patres conscripti, ipsi nos amemus, tamen nec numero Hispanos nec robore Gallos nec calliditate Poenos nec artibus Graecos nec denique hoc ipso hujus gentis ac terrae domestico nativoque sensu Italos ipsos ac Latinos, sed pietate ac religione

(1) *De Haruspicum responso*, 18-19.

(2) Eam suae *in Pisonem* orationi inserebat (59), dum Pisonem de supplicationibus (« quas di neglegunt... etc. » Cf. supra p. 88) disserentem facit.

(3) Ipse loquens in prooemio, 3, — et rursus in extrema parte Cottae disputationis (121-124).

atque hac una sapientia, quod deorum numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesque superavimus (1). »

Et quidem a Stoicis maxime eam rationem jam pridem defensam videbat (neque enim temere in suis *de Natura deorum* libris Q. Lucilio Balbo Stoicorum sectatori defendendam eam assignavit) (2), qua utens hoc loco affirmabat, non tantum deos esse (quod ne Epicurei quidem negabant), sed eorum mente ac numine omnia regi et gubernari (3), — qua de re Academici Carneadiam sententiam secuti, non ut negantes, sed ut dubitantes, multa argumentorum copia contra Stoicos disputare instituerant (4), sicut C. Aurelium Cottam Balbo contradicentem in tertio *de Natura deorum* libro inductum videmus ; — Stoicos eosdem [sicut ex illa Balbi disputatione (5) judicare etiam licet] habebat auctores hujus rationis ab universo mundo ad genus humanum, deinde a generis humani universitate ad singulas nationes ita deducendae, ut ipsam imperii romani progressionem et magnitudinem ad singularem deorum curationem singulari populi romani pietati ac religioni maxime respondentem referre posset.

Quod autem noster orator has ipsas rationes eo consilio proferebat, ut confirmaret, se, quamvis « in litterarum studio versatum », nihilominus tamen « magnitudine ostenti et gravitate responsi vehementer esse commotum ». — in hoc maxime Stoicos potissimum sequebatur : qui soli inter philosophos (6), ut in ceteris etiam communis religionis colendae certas rationes afferebant, ita omnia divi-

(1) *De Haruspicum responso*, 19.

(2) In libro II, — ubi eadem fere verba, quae ex orat. *De Harusp. resp.* excerpsimus, initio Balbi orationis (4) invenimus : « quid enim potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum caelum suspeximus..., etc. »

(3) V. divisionem a Balbo positam, *De Nat. deor.* II, 3.

(4) Cf. *De Nat. deor.* I, 4 ; — III, passim ; — II, 162.

(5) V. praesertim 164-165 (*De Nat. deor.* II) ; cui rationi Cotta adversatur in libro III, 91-93. — In libro II, 8, Balbus ita fere loquitur, ut Cicero in orat. *de Harusp. resp.* : «... Et, si conferre volumus nostra cum externis, ceteris rebus aut pares aut etiam inferiores reperiemur, religione, id est cultu deorum, multo superiores »...

(6) Cf. *De Nat. deor.* II, 162 ; *De Divinat.* I, 6 ; — quanquam inter Stoicos Panaetius « non sane ausus erat negare vim esse divinandi, sed dubitare se dixerat ».

nationis genera defendebant (1), cum Epicurus ea omnia tolleret (2), Peripatetici autem pleraque, et quidem simul cum augurali divinatione illam haruspicinam, de qua praesertim Cicero tunc in Senatu loquebatur, rejicerent (3). Nec vero nisi tacite confuseque M. Tullius in hac oratione, cum posuerit et deos esse eorumque mente mundum regi et eosdem hominum consulere generi (4), inde stoicam de divinatione conclusionem sibi assumere videtur, quam etsi in secundo *de Legibus* libro (5) etiam repetit, tamen ut philosophus postea repudiavit : qui enim de natura deorum deque eorum providentia, extremo tertio librorum quos de hac quaestione composuit, etiam post Carneadiam Cottae argumentationem stoicam Balbi disputationem ad veritatis similitudinem propensiorem sibi videri significavit (6), idem in libris, quos *de Divinatione* inscripsit, stoicae sententiae, quam Quinto fratri explicandam tribuit (7), per Carneadia argumenta ipse ita adversatus est, ut « superstitione tollenda religionem tollere » se negaret (8) ; quod autem etiam tum « majorum instituta tueri sacris caerimoniisque retinendis sapientis esse » ait (9) [sicut de colendis dis immortalibus Cottam contra Balbum sic disputantem fecit, ut majorum auctoritas « etiam nulla ratione reddita » ipsa per se satis valere debere diceretur (10)], — idcirco dignum fuit ostendere, eum in oratione publica Stoicorum rationes — quarum quidem ultimam conclusionem privatim non probaret — majorum auctoritati adjungere maluisse.

(1) Cf. *De Divinat.* I, 6 ; *De Nat. deor.* II, 162-163.
(2) Cf. *De Divinat.* I, 5 ; *De Nat. deor.* II, 162.
(3) *De Divinat* I, 5 ; 72. — Quod ad Carneadem attinet, « concertationis studio modo hoc modo illud dicentem », V. *De Divin.* I, 7 ; 62 ; II, 9 ; 150.
(4) Haec verba sumimus e libro II *De Legib.*, 32. Cf. *De Nat. deor.*, II, 3 ; *De Divin.* I, 9, 10.
(5) *De Legib.* II, 32-33.
(6) *De Nat. deor.* III, 96. Cf. *De Divinat.* I, 9.
(7) In libro I ; Cicero contra dicit in libro II.
(8) *De Divinat.* II, 148-149. — Quanquam ipse Balbus in sua stoica disputatione (*De Nat. deor.* II, 63-72) explicat. quomodo Stoici ipsi (sicut Romanorum « majores ») « superstitionem a religione separarent ».
(9) *De Divinat.* II, 148.
(10) *De Nat. deor.* III, 6. Cf. 9, et 43.

Per Stoicos igitur sic efficiebatur, ut ne tum quidem, cum de populi romani felicitate deque deorum immortalium « summo erga eum amore » (1) popularia simpliciter diceret, ab omni philosophorum ratione noster orator abesse sibi videri posset. Neque videlicet nescius erat, — cum in oratione de Catilina ad populum habita (2) doceret, ea, quae ad deprehendendos conjurationis socios ipse administravisset, nonnisi « deorum immortalium nutu atque consilio » geri potuisse, idque prodigiis atque haruspicum responsis enumerandis confirmaret, — ipsam stoicae de natura deorum scholae progressionem (3) quasi ducem talis componendae rationis se habere. Atque per similium rerum explicationem in Milonis defensione ad eamdem ipsam « scholam » iterum expromendam adductus est, quam in oratione de *Haruspicum responso* habita productam notavimus : cum enim post tractatam legitimam « de jure » disceptationem sic persequeretur, per mortem Clodii Milonem reipublicae salutis auctorem fuisse, neque tamen eum tam propria vi ac virtute quam deorum voluntate et consilio id egisse (4), ad confirmandam hanc rationem haec introduxit (5) :

« Sed hujus beneficii gratiam, judices, fortuna populi romani et vestra felicitas et di immortales sibi deberi putant. Nec vero quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam vim esse ducit numenve divinum, quem neque imperii nostri magnitudo neque sol ille nec caeli signorumque motus nec vicissitudines rerum atque ordines movent neque, id quod maximum est, majorum sapientia, qui sacra, qui caerimonias, qui auspicia et ipsi sanctissime coluerunt et nobis suis posteris prodiderunt. Est, est profecto illa vis, neque in his corporibus atque in hac imbellicitate nostra inest quiddam, quod vigeat et sentiat, non inest in hoc tanto naturae tam praeclaro motu. Nisi forte idcirco non putant, quia non apparet nec cernitur: proinde quasi nostram ipsam mentem, qua sapimus, qua providemus, qua haec ipsa agimus ac dicimus, videre aut plane, qualis aut ubi sit, sentire possimus. Ea vis igitur ipsa, quae saepe incredi-

(1) Cf. *In Catil.* orationem III (ad populum), 1.
(2) Tertia « *In L. Catilinam* » inscripta, cap. 8-9.
(3) Qualis ea explicatur a Balbo in lib. II *De Nat. Deor.* 3 et 162.
(4) *P. Milone*, 6 (in propositione , et 83.
(5) Ibid. cap. 30, § 83 sqq.

biles huic urbi felicitates atque opes attulit, illam perniciem extinxit ac sustulit, cui primum mentem injecit, ut vi irritare ferroque lacessere fortissimum virum auderet vincereturque ab eo, quem si vicisset, habiturus esset impunitatem et licentiam sempiternam. Non est humano consilio, ne mediocri quidem, judices, deorum immortalium cura res illa perfecta... »

Cumque deinde noster orator testaretur « albanos tumulos atque lucos », arasque deorum, quorum quasi « in conspectu » Clodius pro pollutis caerimoniis « justas et debitas poenas solvisset (1) », rationem suam ad eas « superstitiones » deducebat, quibus Stoicos nimium favere alias judicavit. Sed eas quidem « rhetorice » tantummodo ornatas populariter adhibebat : de Providentia vero deorum afferebat totam scholam et propria argumentatione (2) et adversae opinionis refutatione (3) breviter instructam, quam eamdem in latius dilatatam Balbo ut stoico in secundo *de Natura deorum* libro mandatam esse jam diximus : quae quamvis a propria certae disciplinae ratione ad quasdam ejusmodi sententias, quae pluribus probabiles fierent, oratorie traduxerit [sicut de lege « non scripta sed nata » in superiore ejusdem orationis loco (4) ea disseruit, quae circa idem tempus in primo *De Legibus* libro (5) stoicis maxime rationibus concludebat], — unus certe inter judices (cui se plurimum tribuere M. Tullius in oratione ipsa semel iterumque indicabat) (6) is fuit, cui eidem talia ut stoica se probaturum esse sperare potuerit (7).

(1) *P. Milone*, 85-86.
(2) V. in loco excerpto : « Est, est profecto illa vis..., etc ».
(3) Ibid. : « Nisi forte idcirco non putant..., etc. »
(4) Cap. 4 (quasi praefatione disceptationis « de jure »). Cf. supra, p. 73.
(5) Cap. 7 sqq.
(6) *P. Mil.*, 16, 58 ; et 26 (de Catone dicimus).
(7) Neque idcirco contendimus ea *dicta* esse, qualia in oratione nobis tradita legimus : V. commentarios Q. Asconi Pediani de hac oratione.

V

Sic ad ornandum hunc « locun », quem « de dis immortalibus » ipse appellavit (1), noster orator ad eos philosophos satis constanter se conferentem videmus, quorum sententiam cum « majorum sapientia » maxime congruere posse intelligebat, quosque eosdem ut philosophus in eisdem rebus eatenus se « probare » significavit, ut ne « pietate, sanctitate, religione, sublatis, perturbatio vitae magnaque confusio sequeretur (2) »: in illo autem « loco », quem « de morte » vocavit (3), cum nulla ejusmodi lege obligatus sibi videretur, ipsa varietas opinionum, quas per orationes emisit, ad eam rationem fere redigi etiam potest, quam ut philosophus in ea re secutus est. — Nam quod in Cluentii defensione dati Oppianico veneni crimen ita refellit, ut contendat, Cluentium nihil habuisse cur inimico suo « damnato, exsuli, deserto ab omnibus », mortem maturare vellet, « quod illi unum esset perfugium calamitatis (4) », — hanc argumentationem deducebat ad deridendas eas « ineptas » de inferorum suppliciis « fabulas » (5), a quibus similiter irridendis suam « Tusculanam » de morte disputationem orsus est (6). Cumque simili argumento Caesar eodem fere modo in senatu uteretur (7) ad suadendum, Catilinae consiliorum sociis vitam

(1) Vel « de pietate », cf. *De Or.* I, 56, 85 ; II, 67 ; — aut « de religione » *Orat.* 118

(2) Cf. *De Nat. Deor.* I, 3, — ubi de Epicurea doctrina dicitur.

(3) Cf. *De Or.* I, 67.

(4) et (5) *P. Cluentio*, 170 171 : « ... Nam nunc quidem quid tandem illi mors attulit ? nisi forte ineptis fabulis ducimur, ut existimemus illum ad inferos impiorum supplicia perferre ac plures illic offendere inimicos quam hic reliquisse, a socrus, ab uxorum a fratris, a liberum poenis actum esse praecipitem in sceleratorum sedem ac regionem. Quae si falsa sunt, id quod omnes intelligunt, quid ei tandem eripuit mors praeter sensum doloris ?... »

(6) Cf. *Tuscul.* I, 10. « Dic, quaeso : num te illa terrent... etc. » ; cf. 36.

(7) Sicut apparet ex Tulliana *in Catilinam* oratione IV, cap. 4 ; — cf. etiam Sallustium in *Catilina*, cap. 50, § 20 (Caesaris orationem) et 52, § 13 (Catonis orationem).

relinqui debere, M. Tullius nihil sane contra dixit, nisi quod post relatam Caesaris sententiam ea animadvertebat, unde satis apparet, cur brevissimam sane horum « aeternorum suppliciorum » commemorationem in « latrones Italiae » ipse extremis primae de Catilina orationis verbis (1) intenderet :

« Itaque, ut aliqua in vita formido improbis esset posita, apud inferos ejusmodi quaedam illi antiqui supplicia impiis constituta esse voluerunt, quod videlicet intelligebant his remotis non esse mortem ipsam pertimescendam (2). »

Et vero, qui sic definiebat, quid boni in populari opinione inesset, idem in aliis orationibus per philosophorum rationes vix minus quam per ipsam romanae « dignitatis » conscientiam effici debere professus est, ut ne sapienti fortique viro mors « pertimescenda » videretur : sic enim honestam « cessionis » suae explicationem orationi pro P. Sestio habitae (3) insertam a repetendis eis, quae in Cluentii defensione de optanda in miseriis morte dicta modo notavimus, ad colligenda mortis fortiter oppetendae et argumenta et exempla deducebat :

«... Quid tum? mortemne fugiebam? An erat res ulla, quam mihi magis optandam putarem? aut ego illas res tantas in tanta improborum multitudine cum gerebam, non mihi mors, non exilium ob oculos versabatur? non haec denique a me tum tanquam fata in ipsa re gerenda canebantur? An erat mihi in tanto luctu meorum, tanta dijunctione, tanta acerbitate, tanta spoliatione omnium rerum, quas mihi aut natura aut fortuna dederat (4), vita retinenda? tam eram rudis, tam ignarus rerum, tam expers consilii aut ingenii? nihil audieram, nihil videram, nihil ipse legendo quaerendoque cognoveram, nesciebam vitae brevem esse cursum, gloriae sempi-

(1) *In Catil.* I, 33 : « ... Tu Jupiter ..., latrones Italiae scelerum foedere inter se ac nefaria societate conjunctos aeternis suppliciis vivos mortuosque mactabis » ; — atque similiter de Antoni latrocinii sociis in Philippica XIV, 32 : « Illi igitur impii, quos cecidistis, etiam ad inferos poenas parricidii luent, — vos vero, qui extremum spiritum in victoria effudistis, piorum estis sedem et locum consecuti ».

(2) *In Catil.* IV, 8.

(3) *P. Sestio*, cap. 21. Cf. supra, p. 82.

(4) In eis sententiam agnoscimus, quam in orat. *P. Cluentio* notavimus.

ternum ; cum esset omnibus definita mors, optandum esse, ut vita, quae necessitati deberetur, patriae potius donata quam reservata naturae videretur? nesciebam inter sapientissimos homines hanc contentionem fuisse, ut alii dicerent animos hominum sensusque morte restingui, alii autem tum maxime mentes sapientium ac fortium virorum, cum ex corpore excessissent, sentire ac vigere ? quorum alterum fugiendum non esse, carere sensu, — alterum etiam optandum, meliore esse sensu... »

Similiter illa Tusculana de morte disputatio [cujus perorationi ne exemplorum quidem, quae hic omittimus, commemorationem deesse videmus (1)] in harum duarum opinionum contentione versatur, — quarum utracumque probabilior sit, ad contemnendae mortis conclusionem nihil interesse noster auctor docet (2).

Et vero, quanquam non sine consilio et in hac ipsa *Tusculana* et extremo *de Senectute* dialogo animorum immortalitati (quam nonnisi per Scipionis personam sexto *de Republica* libro omnino affirmavit) (3) graviorum philosophorum auctoritates attribuisse videtur (4), tamen hujusmodi immortalitatem ut vix minus expetendam et sibi et bonis fortibusque viris saepius proposuit, quam intuens hoc ipso loco, quem ex oratione *pro Sestio* excerpsimus, aiebat « brevem vitae cursum esse, *gloriae* sempiternam (5) », et in aliis etiam orationibus, « vitam mortuorum in *memoria* positam esse vivorum (6) » ; cujus generis immortalitate se quidem cogitatione speque frui viventem profitetur, « sive a suo sensu post mortem afutura

(1) Cf. *Tusc.* I, 116 atque antea, 89 (de Romanis) ; *P. Sestio*, 48, ubi eadem fere exempla Erechthei, Deciorum, etc., commemorantur.

(2) *Tusc.* I, 25 sqq : « ... Dasne aut manere animos post mortem aut morte ipsa interire ?... »

(3) *De Republ* VI, praesertim, 13, 25, 29

(4) Cf. *Tusc.* I, praesertim 39, 49. 71, 77 ; — *De Senectute*, 86 : « Quod si in hoc erro, qui animos hominum immortales esse credam (Cato loquitur), libenter erro... ; sin mortuus, ut *quidam minuti philosophi censent*, nihil sentiam... etc.

(5) *P. Sestio*, 47. — Similiter in orat. *P. C. Rabirio*, 30 : « Etenim, Quirites, exiguum nobis vitae curriculum natura circumscripsit, immensum gloriae » ; — atque in *Philippica XIV*, 32 : « Brevis a natura vita data est, at memoria bene redditae vitae sempiterna ».

(6) *Philippica* IX, 10. Cf. *Philipp.* XIII, 7 : « Si non spiritu, at virtutis laude vivemus ».

sit, sive ad aliquam animi sui partem pertinere debeat (1) ». In ejus certe orationibus nunquam introductam invenimus eam rationem, qua utentem Scipionem sexto *de Republica* libro fecit demonstrantem « quantis in angustiis hominum gloria se dilatari vellet », atque in « definito caeli loco, ubi beati sempiterno aevo fruituri sint » (2), spem humanis praemiis altiorem magnis praestantibusque viris proponentem (3) : at contra propter hoc ipsum, quod « optimum quemque maxime gloria duci » (4) profitetur, idcirco potius opinari videtur, « aliquem sensum esse in morte praeclarorum virorum (5) », quo hac gloriae mercede ac delectatione in perpetuum ipsi frui possint (6): hanc enim rationem in oratione *pro C. Rabirio* (7) habita sic expressit :

« Neque quisquam nostrum in reipublicae periculis cum laude ac virtute versatur, quin spe posteritatis fructuque ducatur : itaque cum multis aliis de causis virorum bonorum mentes divinae mihi atque aeternae videntur esse, tum maxime quod optimi et sapientissimi cujusque animus ita praesentit in posterum, ut nihil nisi sempiternum spectare videatur. »

Quatenus autem talia ad ipsas philosophorum « scholas » pertinerent, ex illa, quam modo diximus, *Tusculana* intelligere licet, ubi, postquam communiter positum est, « naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curae sint et maximae quidem, quae post mortem futura sint », tum per eamdem « praeclarorum virorum » selectionem propter eis insitum gloriae amorem (8) hoc argumentum sic concluditur :

(1) *P. Archia*, 30. — Similia fere invenias, *De Senect.* 86.
(2) et (3) *De Republ.* VI, 13 ; — 20-25.
(4) Cf. *P. Archia*, 26. — *P. C. Rabirio*, 29.
(5) Sic loquitur in orat. *P. Sestio*, 131. Cf. *P. Scauro*, 50.
(6) Cum contra sexto *De Republ.* libro per gloriae contemptum affirmandae animorum immortalitatis ratio concludatur.
(7) *Pro C. Rabirio*, 29.
(8) *Tuscul.* I, cap. 15-16. — Similiter, etsi minus enucleate, disseritur in dialogo *De Senectute*, 82. — De hoc gloriae amore in hac ipsa *Tuscul.* (I, 34) easdem sententias noster auctor repetit, quas in orat. *P. Archia* (26) sic expresserat : « Trahimur omnes studio laudis, et optimus quisque maxime gloria ducitur : ipsi illi philosophi etiam in iis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt,... etc. »

« ... Quod si omnium consensus naturae vox est, omnesque, qui ubique sint, consentiunt esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui vita cesserint, nobis quoque idem existimandum est, et si, quorum aut ingenio aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima sint, cernere naturae vim maxime, verisimile est, cum optimus quisque maxime posteritati serviat, esse aliquid, cujus is post mortem sensum sit habiturus (1). »

Cumque huic « laudis studio » tantum tribuerit, ut non semel in orationibus (sicut etiam in hac ipsa *Tusculana*) ita locutus sit, tanquam haec laborum periculorumque merces optimo cuique maximum ad virtutem incitamentum esset (2),— tamen ne in hac quidem gloriae dulcedine oratorie amplificanda semper omisit ejusmodi correctiones, quibus admoneret, « nullum theatrum virtuti conscientia majus esse (3) » : sic enim Milonis virtutem (4), cum is Clodium interfecisset, apud judices optime commendari posse existimavit :

« ... Addit haec, *quae certe vera sunt*, fortes et sapientes viros *non tam praemia sequi solere recte factorum quam ipsa recte facta* (5); sé nihil in vita nisi praeclarissime fecisse, siquidem nihil sit praestabilius viro quam periculis patriam liberare; beatos esse, quibus ea res honori fuerit a suis civibus, nec tamen eos miseros, qui beneficio cives suos vicerint; sed tamen ex omnibus praemiis virtutis, *si esset habenda ratio praemiorum*, amplissimum esse praemium gloriam; esse hanc unam, quae brevitatem vitae posteritatis memoria consolaretur, quae efficeret ut absentes adessemus, mortui viveremus; hanc denique esse, cujus gradibus etiam in caelum homines viderentur ascendere »;

atque eamdem fere sententiam in Philippica secunda repetit, dum Caesaris interfectores ait « eam gloriam consecutos esse, quae vix caelo capi posse videatur » :

(1) *Tusc.* I, cap. 16, § 34.

(2) Cf. *Pro C. Rabirio*, 29 (locum relatum supra). — *P. Archia*, 26-28 : « Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat praeter hanc laudis et gloriae : *qua quidem detracta, quid est quod* in hoc tam exiguo vitae curriculo et tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus ?... » Cf. *Tuscul.* I, 33 : « ... Quo quidem dempto, quis tam esset amens qui semper in laboribus et periculis viveret ?... » (Cf. etiam *Philipp.* XIV, 32 : « ... quae si non esset longior quam haec vita... etc. »)

(3) Sicut scripsit in *Tuscul.* II, 64.

(4) Cf. *P. Milone*, 96-97. Cf. supra p. 105, n. 7.

(5) Sic repetimus sententiam Catonis supra (p. 88) relatam.

« Etsi enim satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat, tamen mortali immortalitatem non arbitror esse contemnendam (1). »

Nam, qui ut philosophus recte animadverterit, non « viri sapientis » esse, ad « multitudinis arbitrium » se componere et, « non quid verissimum sit, sed quid velit vulgus, exquirere » (2), — ei sane commodius fuit, ut oratorem plerumque ita loqui, tanquam multitudinis opinio et in improborum hominum vituperatione (3) et in comprobandis recte factis cum optimi cujusque judicio consentire soleret (4) ; sed tamen in nonnullis orationibus (5) eam ipsam « verae gloriae » a « populari fama » distinctionem adhibere videtur, quam in tertia *Tusculana* (6) sic explicavit :

« Est enim gloria solida quaedam res et expressa, non adumbrata ; ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute, ea virtuti resonat tanquam imago. Quae quia recte factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda. Illa autem, quae se ejus imitatricem esse vult, temeraria atque inconsiderata et plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix, fama popularis, simulatione honestatis formam ejus pulchritudinemque corrumpit. »

Qua quidem distinctione vel tacite assumpta recte judicare potuit, si qua ad gloriae commendationem paulo nimium rhetorice diceret, ea a philosophorum ratione non

(1) *Philippica* II, 114. — De hac « gloriae » immortalitate hoc loco agitur, quam contra non magni faciendam esse in libro VI *De Republ.* Scipio docens inducitur (sicut supra notavimus). — De cetero, — quod ad Tullianam *de gloria* sententiam attinet, cf. Charaux, « *Quid de gloria senserit Cicero* » (1866).

(2) *Tuscul.* V, 104. — Cf. *De Republ.* VI, 25 : « ... Suis te oportet illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus ; quid de te alii loquantur, ipsi videant, sed loquentur tamen ».

(3) Cf. ea, quae initio hujus capitis (p. 86-87) de *Pisoniana* diximus.

(4) Quod aperte exprimitur in *Philipp.* I, 29 : « Est autem gloria laus recte factorum magnorumque in rempublicam meritorum, quae cum optimi cujusque, tum etiam multitudinis testimonio comprobatur. »

(5) Cf. *P. Sestio*, 139 : « ... bonam famam bonorum, quae sola vere gloria nominari possit » ; *P. C Rabirio Postumo*, 43 (« quae prudentium judicio expenditur ») ; *Philipp.* II, 115 (« verae gloriae gustatorem ») ; *Philipp.* V, 49-50.

(6) *Tusc.* III, cap. 2. — Cf. etiam de « vera gloria », *De Offic.*, II, 43.

ita multum discrepare. Nec vero huic « laudis studio » ut in vita sua sic in suis orationibus tantum forsitan tribuisset, nisi gravissimos philosophos de « summo bono » ita disserentes vidisset, tanquam *honestum* et *laudabile* idem esset, atque inde etiam concludentes, quia beata vita « *gloriatione digna* » habenda esset, idcirco eam nonnisi *honestate* effici posse (1) : quas rationes cum ab eis « dialecticis » (2) ita concludi intelligeret, quos « solos philosophos » esse interdum suspicatus est (3), — ab illis ipsis Stoicorum « consectariis » eam « verae laudis » (4) cum virtute quasi confusionem, qua non semel ut orator populariter usus est, repetere (5) se forsitan sibi conscius fuerit.

(1) Cf. *De Finib.* III, 27-28, ubi haec « Stoicorum consectaria » Catonem exponentem facit ; nam quod in lib. IV, 49-51, eorum argumentationem ipse irridet ac reprehendit, eas tamen sententias, quas ex tota argumentatione hoc loco solas excerpimus, et ipse concedit et ab omnibus philosophis, — praeter eos « quibus summum bonum sine virtute est », sicut Epicurum et alios, — ab Academicis videlicet maxime, concedi ait.

(2) Sic Stoici potissimum ab eo non semel designantur(Cf. supra nostram part. I, p. 52, n. 4).

(3) Cf. *Tuscul.* IV, 53 ; — V, 46.

(4) Cf *P. Marcello*, 19 ; *P. Sestio*, 138 ; *Pro C. Rabirio*, 29 (« cum laude ac virtute) ; — *P. Archia*, 14 (« laudem atque honestatem »).

(5) Sicut ea ipsa « rhetorice et augeri et ornari posse » indicabat, *De Finib.* III, 26. Cf. *Parad. Prooem.*

CAPUT IV

ATQUE CONCLUSIO.

Quomodo Cicero in eis libris, quos de propriis philosophiae rebus scripsit, suam adjungendae oratori philosophiae formulam explere sibi ipse visus est.

I

Sic judicari potest, quomodo suam in variis philosophiis eruditionem Cicero ad forensem eloquentiam adhibuerit, sive de quavis earum aperte disserendi occasionem in ipsis causis inveniret, sive ex iis ad ornandos eos locos, qui ad philosophiam maxime pertinerent, res et sententias tacite eligeret. Atque eum videmus in propriis philosophorum sententiis rationibusque per suas orationes ita inserendis vel ultra progredientem, quam quatenus in ejusmodi rebus ad commodiorem talium locorum tractationem oratorem versari debere ipse in suis « oratoriis » libris significabat. Quem enim de philosophiae ad eloquentiam adjunctione ita disserentem agnovimus, tanquam ea universa et quasi communis materies omni « civili orationi » subjecta spectaretur, quam in libris *de Republica*, *de Legibus*, *de Officiis*, inscriptis vix magis ut graecae philosophiae studiosus quam ut « vir togatus » tractavit, — eum per suas orationes non semel invenimus in ejusdem generis « scholis » exprimendis quasi se exercentem, ex quibus illos libros de reconditioribus et maxime quidem Graecorum philosophorum propriis quaestionibus, — velut de summo bono (1), de virtute beatae vitae effectrice (2),

(1) In libris *De Finibus*.
(2) Ad hanc formulam ipse *Tusculanas* suas redigit, *De Divinat.* II, 2.

de natura deorum, — composuit. Cumque in variarum philosophiarum sententiis pro causarum commoditate adhibendis ea libertate uteretur, ut nulli certae doctrinae addictus ex omnibus libaret, quodcumque maxime probabile dicendo fieri posse existimaret,— tum per orationum varietatem eam ipsam rationem fere exercebat, quam ut philosophus postea professus est, ut « nullis ullius certae disciplinae vinculis » (1) prohiberetur, ex omnibus quaque de re sibi adsciscere, quidquid maxime ad veri similitudinem accedere judicaret, — ne ea quidem lege obstrictum se faciens, ut de re eadem idem semper defenderet (2).

Ac de ipsa quidem philosophandi ratione, quam secutus est, propter se considerata, non est hujus scriptionis plura dicere ; sed extrema rei nostrae explicatione non alienum fuerit animadvertere, quo quasi processu a propriis philosophiae locis ad oratorium usum adhibendis ad eosdem separatim propter se tractandos noster auctor se contulerit : cum praesertim ab eis ipsis libris *de Oratore* inscriptis, unde disputatio nostra profecta est, liceat repetere, quomodo hanc philosophandi professionem ad eam summi oratoris quasi formulam, quam prae se ferret, pertinere ipse indicaverit.

Nam Crasso suo sic statuenti, « quidquid sit quacumque ex arte, quocumque de genere, oratorem id, si tanquam clientis causam didicerit, dicturum esse melius et ornatius, quam ipsum illum ejus rei inventorem atque artificem (3) », — ipsum Antonium consentientem alio modo faciebat : qui, quanquam et repugnare videtur, quominus « infinita quaestionum universi generis silva » oratori adjungatur, neque illam ipsam earum partem, quae ad mores hominum et ad usum civium maxime attineat, nisi « modicis regionibus circumscriptam » oratori comprehendendam esse concedit (4), tamen idem eodem loco sic

(1) Cf. *Tuscul.* V, 82 ; IV, 7.
(2) Cf. *Tuscul.* V, 33.
(3) *De Or.* I, 51 ; cf. 65.
(4) Ita dumtaxat, ut « in causis prudenter possit intexere ». Cf. *De Or.* I, 65-68.

judicat, oratorem, si a verarum causarum contentione ad hujus infiniti generis quaestiones tractandas traducatur, « non plus quaesiturum esse, quid dicat, quam Polyclitum illum, — cum Herculem fingeret, — quemadmodum pellem aut hydram fingeret, etiamsi haec nunquam separatim facere didicisset » (1). Nam quod Catulus hic inducitur objiciens, « sibi non minus operis videri de universis generibus rerum quam de singulorum causis, ac multo etiam majus *de natura deorum*, quam de hominum litibus dicere (2) », Antonius statim confirmat, « in causarum contentionibus » maximum eloquentiae opus esse, « omnium ceterarum rerum orationem ludum esse homini non hebeti neque inexercitato nec communium litterarum et politioris humanitatis experti » (3). — Et haec quidem arrogantius dicta, quasi ad ipsam philosophorum oratorem despicientium arrogantiam vel praeter modum refellendam, Cicero Antonii temeritati (4) assignabat : sed talem rationem subtiliore definitione correctam ad eam certarum philosophiarum selectionem, quam per Crassum introduxit, inferiore loco accommodavit. Hic enim Crassus, — dum rursus affirmat, vim eloquentiae tantam esse, ut « omnem naturam, quae mores hominum, quae animos, quae vitam contineat », complectatur, « omniaque, quae ad quamcumque rem pertineant, ornate copioseque dicat (5) », — negat se quidem, ut in hoc genere pro sua facultate et pro *mediocri* sane *doctrina* ver-

(1) *De Or.* II, 69-70. — Cf. in eo loco libri I *De Inventione* (§ 8), de quo diximus supra (p. 46, n. 4), longe aliam de re eadem sententiam : « nam quibus in rebus summa ingenia philosophorum plurimo cum labore consumpta intellegimus, eas *sicut aliquas parvas res oratori attribuere magna amentia videtur* » ; sed tamen animadvertamus, hujus « infinitae quaestionum universi generis silvae » (quae universe « procul ab oratoris officio remotae » in hoc *de Inventione* libro dicuntur) non nisi partem aliquam, et ne eam quidem sine quadam dubitatione, oratori sic adjungi ab Antonio (*De Or.* II, 66-67; cf. Crassum, I, 68), ceteris omissis eadem fere de ratione (ibid. 66) quam noster auctor *de Inventione* scribens Hermagorae sententiae opponebat.

(2) et (3) *De Or.* II, 71, 72.

(4) Praesertim in eo, qui fateatur (*De Or.* II, 61), se in « philosophorum libris, qui sunt fere inscripti de rebus notis et illustribus, de virtute, de justitia, de honestate, de voluptate, verbum prorsus nullum intelligere. »

(5) *De Or.* III, 76.

santem, istis tamen, qui *in una philosophia* quasi tabernaculum vitae suae collocarint (velut C. Velleio Epicureo aut duobus Balbis, aliisque Stoicis hominibus suas sententias cuique defendentibus) (1) « multum in disputatione concedere debere » ; unde generatim persequitur, « istos quidem oratorem *vel vulgarem* (eo scilicet, de quo Antonius locutus est), si minus doctum, attamen in dicendo exercitatum, hac ipsa *exercitatione communi* verberaturum esse neque se ab eis contemni ac despici siturum » (2) ; quod autem ab istis *unius philosophiae* intelligentibus Peripateticos Academicosque ut in disserendo quacumque de re in contrarias partes exercitatos separat, non curat, quem oratorem his opponat, cum « verum, perfectum, solum oratorem » (3) nonnisi eum esse contendat, qui *propria harum duarum philosophiarum exercitatione* (4) ac disciplina instructus fuerit. — Neque fortuito incidit, ut Cicero per hujus rationis explicationem eam ipsam philosophandi formulam, quam secutus est, introduxerit : quia enim Crassum suum sic docentem faciebat, « ea, quae sunt in philosophia, ingeniis erui ad id, *quod in quoque veri simile sit*, eliciendum acutis atque acribus » (5), idcirco videlicet efficiebatur, « qui Aristotelio more de omnibus rebus in utramque partem possit dicere..., aut hoc Arcesilae modo et Carneadi contra omne, quod propositum sit, disserat » (6), eumdem ad philosophiam simul et ad eloquentiam tali exercitatione institutum esse (7).

II

Neque profecto, qui per hanc *vel Aristoteliae vel Carneadiae* exercitationis vim certam philosophiae cum elo-

(1) Hunc Velleium et unum ex Balbis Cicero in suis *De Natura deorum* libris induxit contraque eos Cottam Academicum disputantem.
(2) et (3) *De Or.* III, 79-80. (Cf. nostram partem I, cap. III.)
(4) Cf. *De Or.* III, 107; atque passim.
(5) *De Or.* III, 79.
(6) *De Or.* III, 80.
(7) Cf. *De Or.* III, 142 (quem locum supra retulimus, p. 47, n. 12).

quentia affinitatem persequebatur, is nescius fuit, Carneadis hoc proprium fuisse, ut ea formula, qua quidem Aristoteles non rhetoricam solum, sed « dialecticam » (1) quoque definierat, ad omnem philosophiam transferretur; neque igitur imprudens utrumque modum hujus exercitationis ab oratoriae institutionis utilitate (in qua utriusque virtutem fere confundebat) ad commoditatem inveniendi « quid in quaque re verisimile esset » (2) — (quae Carneadis propria philosophandi formula erat) — conjuncte traducebat. Et quidem utroque genere eum utentem videmus in eis libris, quos de propriis philosophiae locis conscripsit. Ipse enim nos admonet, se in Tusculanis disputationibus (3) propriam Academicorum « contra propositum disputandi consuetudinem » secutum esse (4), ab eaque illos alios libros separat (5), quos ita composuit (6), « ut in utramque partem perpetua explicaretur oratio » (7) : quanquam ipse etiam significavit, hanc componendi formam, quam in libris *de Finibus bonorum et malorum* sequeretur (8), ad illum Carneadium modum revocari posse, ita dumtaxat immutatum, ut is, qui « ponere aliquid » jussus esset (9), « non modo diceret, quid sentiret, sed etiam cur » (10), neque nisi post ejus sententiam

(1) Cf. Aristot. *Topica*, lib. I, cap. 1.

(2) Id ut eo loco, quem ex lib. *De Or.* III, 79, excerpimus, ita in *Tuscul. II*, 9, significatur : « Itaque mihi semper Peripateticorum Academiaeque consuetudo de omnibus rebus in contrarias partes disserendi non ob eam causam solum placuit, quod aliter non posset, quid in quaque re verisimile esset, inveniri, sed etiam quod esset ea maxuma dicendi exercitatio. Qua princeps usus est Aristoteles... etc. »

(3) Atque etiam in libro *de Fato*. (Cf. *De Fato*, 1 ; 4.)

(4) Cf. *Tuscul.* I, 7-8 ; *De Fato*, 4.

(5) Cf. *De Fato*, 4. Cf. *De Finib.* V, 10.

(6) Ipse designat libros *de Natura deorum* et *de Divinatione*; sed ejusdem generis sunt libri *de Finibus* atque *Academica*.

(7) Addit : « Quo facilius id a quoque probaretur, quod cuique maxime probabile videretur » (*de Fato*, 1).

(8) Eam « Aristotelium morem » appellare licet (Cf. *de Or.* III, 80), quanquam eidem appellationi aliud etiam Cicero subjicere videtur, dum (in *Ep st. ad Attic.* XIII, 52) suos libros περὶ τελῶν ad « Aristotelium morem » refert, « in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus » (nam ab ipsis Aristotelis dialogis hoc exemplum ducebatur). De cetero cf. Baumhauer : *de Aristotelia vi in Ciceronis scriptis*, 1841.

(9) Sicut dicitur *Tusc.* I, 7 ; *de Fato*, 4.

(10) Cf. *de Finib.*, II, 2-3

libere expositam perpetua oratione contra diceretur. — Quasnam autem ad sententias *probandas* sic explicari id voluit, « quod cuique maxime probabile videretur (1) », nihil ad hoc tempus (2) : hoc tantum ad nostrum propositum interest animadvertere, tali componendi artificio adhibendo vel commodissime effici potuisse, ut de maxime propriis philosophiae quaestionibus « non dialectice solum, sed etiam oratorie (3) » disputaretur. Non quo in eis ipsis libris, ubi noster auctor simpliciter et sine controversia res ejus generis exposuit, in quas Academiam — hanc ab Arcesila et Carneade recentem — ut « perturbatricem » invadere vetaret (4), ab eis ornate copioseque dicendi virtutibus abesse sibi visus sit, quas cum in Academicis Peripateticisque commendabat (5) tum ad universam *oratoris* « professionem (6) » eas pertinere aiebat ; sed, quem et in libris *de Oratore* (7) et subtilius etiam in *Oratore* (8) a propriis forensis eloquentiae « nervis » illam « mollem et umbratilem » philosophorum orationem sive potius « sermonem » separantem videmus [quemadmodum in libris *de Officiis* (9) « duplicem vim orationis, alteram *contentionis*, alteram *sermonis* », discernit], — is videlicet a quadam forensis *contentionis* similitudine minus discedere tum sibi videbatur, cum institutam de reconditioribus quaestionibus eam *probabilium quasi contentionem*, in qua philosophiam versari maxime existimabat, per alternas in utramque partem orationes explicaret. Neque enim ejus rationis, quam de propria Academicorum (10) cum oratore cognatione ab eo prola-

(1) Cf. *de Fato*, 1.

(2) In superiore capite de ea re hoc dumtaxat notavimus, quod ad *locos* in orationibus intextos pertinebat.

(3) Ut ipse dicit de Peripateticis, in Aristotelia exercitatione versantibus, *de Finib.*, V, 10. — Cf. etiam *de Finib.*, II, 7.

(4) Sicut loquitur in lib. *De Legib.* I, 39; sed ejusdem generis sunt res, quae in libris *de Officiis* exponuntur.

(5) Ut supra explicavimus, in parte I, cap. III, p. 52.

(6) *de Or.* I, 21, 48, 51, etc. (Cf. supra p. 9, 12); II, 37, 38.

(7) *de Or.*, II, 72 (Cf. supra in hoc ipso capite, p. 115); I, 81; III, 80.

(8) *Orat.* 13, atque praesertim 62-64.

(9) *de Offic.* I, 132 sqq.; 156; II, 48 sqq.

(10) Hoc verbo latissimo sensu (cum Peripateticorum igitur, ut Cicero solet, adjunctione) hic utimur.

tam vidimus, adeo fautor ipse fuit, ut aliarum familiarum defensores, quos in suis libris induxit, ab oratoriis virtutibus excluderet ; sed tanquam Epicureae doctrinae patronos eos induxit, quorum orationem « non sententiis solum copiose, sed verbis etiam ornatius » (1) explicari faceret, quam quod ab hac disciplina exspectari posset ; stoicas vero partes nunc illi Catoni mandavit (2), cui uni inter Stoicos oratores summam dicendi laudem tribuebat (3), nunc Q. Lucilio Balbo, qui, quanquam ab oratore vel mediocri « verberari » posse — ut Stoicus — in tertio *de Oratore* libro a Crasso dicitur (4), tamen in secundo *de Natura deorum* cum sententiarum, quas explicat, magnificentia orationem suam ita adaequare videtur (5), ut ne a Cotta quidem Carneadiam personam agente (6) dicendi copia vincatur.

In hac igitur doctrinarum contentione unaquaeque suum « patronum » habet, qui ejus tanquam « clientis (7) » causam dicit. Fit etiam interdum, ut aut patronus susceptam causam ultra defendat, quam quod ipse sentire se postea fatetur (sicut Quintus nostri M. Tullii frater in explicanda stoica « de Divinatione » sententia) (8), aut invito patrono ea causa, quam se probare omnino neget, defendenda deferatur, sicut L. Furium Philum, « unicum antiquae probitatis et fidei exemplum », contra justitiam Carneadiis argumentis dicentem in tertio *de Republica* libro videmus (9). Cumque ad hanc

(1) Cf. *De Nat. deorum*, I, 58 (sic Cottam de Velleio loquentem Cicero fecit.

(2) In tertio *De Finib.* libro.

(3) Cf. *Brut.*, 118; *Parad. Prooem.* (quibus de locis cf. supra p. 49, 53).

(4) *De Or.* III, 78 : cf supra p. 116.

(5) Praesertim dum loquitur de *providentia* deorum (cap. 32-40, 59-66), Quanquam Balbus, II, 147, sibi de his rebus disputanti Cottae eloquentiam dari se velle ait: ipsum certe Balbum hac libertate oratorie « vagandi » utentem Cicero facit, quam in *Tusc.* III (14, 22), Stoicorum disserendi angustiis opponit.

(6) Atque in artificio amplificandi a sua disciplina exercitato. (Cf. *De Nat. deor.* II, 168.)

(7) Sicut Crassum dicentem invenimus, *De Orat.*, I, 51.

(8) Quintum ultra id, quod sentiret, stoicam sententiam defendisse apparet ex iis quae dicuntur in lib. *de Divinatione*, II, 100-101.

(9) Cf. *De Republ.* III, 8 sqq.

cum genere judiciali assimulationem certae formulae, quibus interdum in his libris noster auctor utitur (1), spectare videntur, tum eam persequi licet per adhibitam saepius aut « principiorum verecundorum (2) » conciliationem aut ornate « perorandi (3) » elegantiam, — ne de ipsis argumentandi artificiis dicamus, quorum temeraria interdum assumptio (4) ad quamdam adversarii quocumque modo refellendi consuetudinem exercitationemque maxime referri potest.

Sic videmus Ciceronem in eadem illa exercitatione ut philosophum maxime versantem, quam quanta in commendatione — ut Academicorum Peripateticorumque propriam ad amplificandas dicendi virtutes posuisset, in priore hujus nostrae scriptionis parte explanatum est. Nec vero, dum ea repetimus, id agimus, ut ad quasdam oratorias rationes omnem Tullianam philosophandi rationem revocemus, — cum contra alius etiam generis rationibus Cicero adduci debuisse videatur, ut ex duabus disciplinis, inter quas ut orator nihil fere interesse judicavisset (5), Carneadiam potius se sequi ut philosophus

(1) Vide exempli gratia: *De Finib.* II, 3 («... oratio praescribere debet, — ut quibusdam in formulis *ea res agetur*, — ut, inter quos disseritur, conveniat .. etc. ») ; — *Ibid.* III, 1: « Voluptatem... si ipsa pro se loquatur nec tam pertinaces habeat patronos, concessuram arbitror... etc. » — Ibid, IV, 1 : «... cum ego te hac nova lege videam eodem die accusatori respondere et tribus horis perorare. . » — *De Natura deor.* III, 8 : « te quoque animadverti, cum in foro diceres, quam plurimis posses argumentis onerare judicem... » — *Acad. prior.* II, 64 : « Tum ego non minus commotus, quam soleo in causis majoribus... »

(2) Ut dicit noster in *Orat.*, 124.— Talibus « exordiis » utuntur Lucullus in *Acad. prior.* II, 10; Cicero ipse postea, 64 ; Cotta in lib. I *De Nat. deor.* 58-59.

(3) Sicut in lib. *de Finib.* II, 111-119; III, 73-76. Cf. *Tuscul.* I, 112-119.

(4) Praesertim contra Epicureos, — sicut eruditi viri notaverunt.

(5) Nam quod ad ipsam « patroni » facilitatem in suscipiendis vel pejoribus causis attinet, tantum abest, ut Peripateticorum doctrinam sibi in hoc obstare judicaverit, ut Stoici Panaetii auctoritatem ipse in ea re sibi assumere posse sibi visus sit : sic enim loquitur in lib. *de Officiis*, II, 51 : « ... Nec tamen, ut hoc [« arcessere innocentem judicio capitis »] fugiendum est, item est habendum religioni nocentem aliquando, modo ne nefarium impiumque, defendere : vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas. Judicis est semper in causis verum sequi, patroni nonnunquam verisimile, etiamsi minus sit verum, defendere ; quod scribere, praesertim cum de philosophia scriberem, non auderem. nisi idem placeret gravissimo Stoicorum Panaetio. »

profiteretur ; sed, ut nobis de Tulliana philosophiae ad eloquentiam adjungendae formula quaerentibus maxime propositum fuit explicare, quantum philosophiae studio in suis orationibus noster auctor tribuisset, ita ipsa rei nostrae explicatio nos adduxit, ut admoneremus, quantum oratoriae facultati in sua philosophandi ratione idem concessisset. Et quidem, de propriis philosophiae quaestionibus « ornate copioseque disserendi (1) » exemplum ab eodem philosophorum genere repetere sibi videbatur, quorum a disciplina se eam « rerum verborumque simul copiam (2) », unde suam dicendi facultatem summe aluisset et amplificavisset, sibi assumpsisse ipse professus est.

(1) Ipsum in *Tuscul.* I, 7, ita loquentem invenimus : « ... Hanc enim (de Aristotele supra loquebatur) perfectam philosophiam semper judicavi, quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere, in quam exercitationem ita nos studiose dedimus, ut jam etiam scholas Graecorum more habere auderemus. . » De hoc « copiose ornateque dicendo » apud oratorem, vide tertium *de Oratore* librum, de quo supra id diximus, quod ad rem nostram attinebat.

(2) Cf. *De Orat* III, 125, 142 (de qua re diximus in nostra parte I, cap. III et IV.

VIDI AC PERLEGI

Lutetiae Parisiorum in Sorbona
a. d. VI Id. Jan. ann. MDCCCCI.

Facultatis litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,

A. CROISET.

TYPIS MANDETUR,

Academiae Parisiensis Rector,

GRÉARD.

INDEX RERUM

Quantum philosophiae studio ad augendam dicendi facultatem Cicero tribuerit.

PROOEMIUM. . . . . p. 1

PARS I

Quid de philosophia ad oratorium usum cognoscenda M. Tullius sensisse videatur.

CAPUT I

Quas rationes latissime patentes de hac philosophiae cognoscendae utilitate M. Tullius in suis « oratoriis libris » protulerit. . . . . p. 7

CAPUT II.

Quomodo ad suam sententiam rationes a Platone repetitas accommodaverit . . . . . p. 23

CAPUT III.

Qua propria ratione quaestionem de universa philosophia institutam ad certarum aetatis suae philosophiarum selectionem traduxerit. . . . . p. 37

CAPUT IV.

Summa rationis hactenus explicatae repetitur atque concluditur. p. 55

PARS II

Quomodo M. Tullius suum philosophiae studium ad forensem eloquentiam exercendam adhibuerit.

CAPUT I.

Quomodo suam de philosophia ad oratorium usum cognoscenda rationem M. Tullius ad suam propriam dicendi laudem pertinere ipse significaverit. . . . . p. 59

CAPUT II.

Quid potissimum per ejus orationes huic rationi ab ipso expositae respondere videatur. . . . . p. 64

CAPUT III.

De « propriis philosophorum sententiis » per ejus orationes disseminatis. . . . . p. 84

CAPUT IV

ATQUE CONCLUSIO.

Quomodo Cicero in eis libris, quos de propriis philosophiae rebus scripsit, suam adjungendae oratori philosophiae formulam explere sibi ipse visus sit. . . . . p. 113

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

Paris. – Société française d'Imprimerie et de Librairie.

141572 769z
L71
Lieby.
Quantum philosophiae studio ad augendam dicendi facultatem Cicero tribuerit.
Sept.26'14. Petersson.
DEC 20 1917
DEC 20 1917
DEC 20 1917
JAN 3 1917
JAN 18 1921
AUG 20 1925
AUG 18 1925
Petersson
Sem. 312
141572
U LIBRARY
YC 01860